Linguae Ksanka

(Kootenai)

Elementa Grammaticae

AUCTORE

PHILIPPO CANESTRELLI

e

Societate Jesu.

TYPIS N. H. DOWNING,

Santa Clara, Cal.

1894.

Grammatica Linguae Ksanka.

INTRODUCTIO.

Hoc parvum opus est introductio quaedam ad grammaticam linguae ksanka. Opus ita comparatum est, ut qui legit quam citissime ingrediatur penetralia linguae. Quapropter licet, quoad potuit, servatus sit ordo et distinctio partium et rerum, nihilominus nexum idearum sequuti visum est coniungere potius cum etymologia quam ab ea separare quae ad syntaxim pertinent, ac nonnulla adumbrare et praeoccupare extra proprium locum, quae postea in suis locis plenius explicata reperientur. Haec eo consilio facta sunt, ut et quae afferentur exempla ad doctrinam declarandam melius intelligantur, et regulae facilius memoriae imprimantur, et expeditius ad aliquo modo loquendum qui legit perducatur. Incipimus ergo ad instar introductionis ab exhibendo brevissimum prospectum declinationum verborum.

DE DECLINATIONE VERBI.

Verba ksanka possunt dividi in tres classes, secundum desinentiam quam dum declinantur assumunt in modo indicativo. Omnia verba in numero plurali modi indicativi desinunt in *-i* vel *-ni*. (Nota Lineola (-) praeposita alicui particulae alicuius vocabuli indicat particulam esse suffigendam, si vero lineola iaceat post particulam, signum erit particulam esse prafigendam.) In numero autem singulari desinentia triplex est, et secundum triplicem desinentiam triplex est classis verborum.

Prima classis est eorum verborum, quae in numero singulari modi indicativi desinunt ut in numero plurali, id est in *i* vel *ni*: e. g. utsikati, *aspexi*; uninni, *fui*. Ad hanc classem pertinent omnia verba transitiva et plura intransitiva.

Secunda classis est eorum verborum, quae in numero singulari modi indicativi desinunt in *ge*: e. g. utsinage, *abii*. Omnia verba huius classis sunt intransitiva, et fere omnia sunt verba eundi et veniendi.

Tertia classis est eorum verborum quae in numero singulari modi indicativi nullam habent desinentiam pertinentem ad declinationem, sed habent suffixum *-ik* pertinens ad thema verbi. e. g. ukomnakanlwitik, *dolui corde*; unitkinmik, *feci me*. Haec classis complectitur fere omnia verba reflexiva et plura intransitiva.

DE CHARACTERISTICIS PERSONARUM REGENTIUM VERBUM.

Pronomen personale semper est compositum cum themate verbi, et personae regentes verbum indicantur particulis praefixis, quae pro numero singulari cuiusvis modi ac temporis sunt

u-	vel	un-,	*ego*.
n-	„	n'n.	*tu*.
nihil	„	n-,	*ille*.

Exempla:

u-tsikat-i,	*aspexi*.	un-in-ni,	*fui*,
n-tsikat-i,	*aspexisti*.	n'n-in-ni,	*fuisti*,
tsikat-i,	*aspexit*.	n-in-ni,	*fuit*.

u-tsina-ge,	*abii*,	u-tatkawaka-ge	*apparui*,
n-tsina-ge,	*abiisti*,	n-tatkawaka-ge,	*apparuisti*,
tsina-ge,	*abiit*.	tatkawaka-ge.	*apparuit*.

un-itnilwitik,	*cogitavi*,	un-itkinmik,	*feci me*,
n'n-itnilwitik,	*cogitasti*.	n'n-itkinmik,	*fecisti te*,
n-itnilwitik,	*cogitavit*.	n-itkinmik,	*fecit se*.

Haec pro singulari numero. Pro numero autem plurali, praeter particulas praefixas numeri singularis, suffigenda est ante

desinentiam particula *-alla* vel *-nalla* pro prima persona, et particula *-kil* pro secunda: tertia vero persona pluralis habet eamdem figuram quam habet tertia persona singularis. Exempla:

u-tsikat-alla-ni,	*aspeximus,*	un-in-alla-ni,	*fuimus,*
n-tsikat-kil-ni	*aspexistis,*	n'n-in-kil ni,	*fuistis,*
tsikat-i	*aspexerunt.*	n-in-ni,	*fuerunt.*

---

u-tsina-g-alla-ni,	*abivimus,*	u-tatkawaka-g-alla-ni,	*apparuimus,*
n-tsina-kil-ni	*abiistis*	n'-tatkawaka-kil-ni,	*apparuistis,*
tsina-ge	*abierunt.*	tatkawaka-ge,	*apparuerunt.*

---

un-itnilwit-i-alla-ni	*cogitavimus*	un-itkin-i-alla-ni	*fecimus nos,*
n'n-itnilwit-i-kil-ni,	*cogitavistis,*	n'n-itkin-i-kil-ni	*fecistis vos,*
n-itnilwitik,	*cogitaverunt.*	n-itkinmik	*fecerunt se.*

Vides in verbis secundae classis desinentiam *ge* numeri singularis mutari in *ni* in numero plurali; ipsam tamen particulam *ge* manere ante suffixum *alla*, elisa vocali *e* a vocali sequente: unde habes e. g. *u-tsina-g-alla-ni* loco *u-tsina-alla-ge.* In verbis autem tertiae classis suffixum *ik* amittit literam *k* in numero plurali, remanente sola litera *i*, adiecta tamen desinentia *ni*: sic habes e. g *un-it-nilwit-i-alla-ni,* loco *un-itnilwitik-alla.* In verbo autem *unitkinmik* in numero plurali evanescit etiam litera *m* ante suffixum *ik*, quod alibi explicabitur. Haec quae diximus de numero plurali locum habent solummodo in prima et secunda persona; quia tertia persona pluralis semper identica est tertiae personae singulari.

DE PARTICIPIIS

Participia efformantur ex figuris verbalibus abiecta desinentia *i* vel *ni*, vel mutata desinentia *ge* in *m*, et praeterea mutatis particulis characteristicis personarum iuxta sequens schema:

u-	*vel*	un-	*in*	ku-
n-	,,	n'n-	,,	kin-
nihil	,,	n-	,,	k- *vel* ki-

Exempla:

ku-in.	*qui fui.*	ku-in-alla.	*qui fuimus.*
kin-in.	*qui fuisti.*	kin-in-kil.	*qui fuistis.*
ki-in.	*qui fuit.*	ki-in.	*qui fuerunt.*

---

ku-tsina-m.	*qui abii*	ku-tsina-g-alla.	*qui abivimus.*
kin-tsina-m	*qui abiisti*	kin-tsina-kil.	*qui abiistis.*
k-tsina-m	*qui abiit.*	k-tsina-m,	*qui abierunt.*

---

ku-itkinmik.	*qui feci me.*	ku-itkin-i-alla.	*qui fecimus nos.*
kin-itkinmik,	*qui fecisti te.*	kin-itkin-i-kil,	*qui fecistis vos.*
k-itkinmik.	*qui fecit se.*	k-itkinmik.	*qui fecerunt se.*

Characteristica participialis tertiae personae, per se est *k* quae assumit post se vocalem *i*, quoties thema verbi est monosylabum.

DE CHARACTERISTICIS PERSONARUM PATIENTIUM IN VERBIS TRANSITIVIS.

Pronomen personale seu characteristicae personarum patientium in verbo transitivo sunt pro 1a persona singulari particula *-ap* vel *-nap*; pro 1a plurali *-awas* vel *-nawas*; pro 2a singulari *-is* vel *-nis*; pro 2a plurali *-is-kil* vel *-nis-kil*. Tertia persona nullam habet characteristicam, seu eius characteristica est absentia cuiusvis particulae. Accipe schema:

-ap,	*vel*	-nap,	*me,*	-awas	*vel*	-nawas,	*nos*
-is,	,,	-nis,	*te,*	-is-kil	,,	-nis-kil,	*vos,*
nihil,	,,	*nihil,*	*illum.*	*nihil*	,,	*nihil,*	*illos.*

Exempla:

n-tsikat-ap-ni,	*aspexisti me.*	n-tsikat-awas ni,	*aspexisti nos.*
u-tsikat-is-ni,	*aspexi te*	u-tsikat-is-kil-ni.	*aspexi vos,*
tsikat-i,	*aspexit illum.*	tsikat-i,	*aspexit illos.*

---

kin-tsikat-ap	*qui aspexisti me*	kin-tsikat-awas,	*qui aspexisti nos,*
ku-tsikat-is,	*qui aspexi te,*	ku-tsikat-is-kil,	*qui aspexi vos,*
k-tsikat,	*qui aspexit illum.*	k-tsikat,	*qui aspexit illos.*

Alias figuras alibi trademus.

ANIMADVERSIONES. Litera *n* in praefixo *un*, et secunda litera *n* in praefixo *u'n* est litera phonica, vel auxiliaris, et abiicitur si sequatur consona; sic habes, e. g. *un-in-ni* et non *u-in-ni;* contra habes *u-tsikat-i*, et non *un-tsikat-i.* Etiam litera *i* in *ki-* est phonica, quia, ut supra notatum est, ea inducitur ad habendum vocabulum dissylabum. Pariter phonica est litera *n* in suffixis *-ni*, *-nalla*, *-nap*, *-nawas*, *-nis*, *-nis-kil*; verum eiusmodi litera non semper abiicitur si praecedat consona, neque semper inseritur, si praecedat vocalis: consule allata exempla.

Thema verbi obtinetur ex quavis figura praeteriti perfecti numeri singularis, abiectis characteristicis personarum et desinentiis: sic ex figuris verbalibus *u-tsikat-i*, *u-tsina-ge*, *un-itkinmik*, eruis themata verbalia *tsikat*, *tsina*, *itkinmik*. Non est confundendum thema verbi cum eius radice, quam determinare saepe difficillimum est.

DE CHARACTERISTICIS MODORUM ET TEMPORUM VERBI.

MODUS INDICATIVUS.

Praeteriti perfecti characteristica est absentia cuiusvis characteristicae.

Particula *sil-*, vel *sl-* si sequatur vocalis, est characteristica temporis praesentis. e.g u-sil-tsikat-i, *adspicio;* ku-sil-tsikat, *qui adspicio*; u-sl-in-ni, *sum*, ku-sl-in, *qui sum.*

Particula *ts-* vel *tsgal-* est characteristica futuri temporis: e. g. u-ts-tsikat-i, u-tsgal-tsikat-i, *aspiciam;* ku-ts-tsikat, vel ku-tsgal-tsikat, *qui aspiciam:* u-ts-in-ni, u-tsgal-in-ni, *ero:* ku-ts-in, ku-tsgal-in, *qui ero.*

MODUS IMPERATIVUS.

Modus imperativus verborum primae et secundae classis formatur adiecta themati desinentia *-in* vel *-n* pro secunda persona singulari, et *-kil* pro secunda plurali. Exempla: tsikat-in, *adspice;* tsikat-kil, *adspicite;* in-in, *esto;* in-kil, *estote;* tsina-n, *abi*; tsina-kil, *abite.*

In verbis tertiae classis formatur secunda persona singularis modi imperativi mutato suffixo *ik* in *am.* Secunda vero persona

pluralis formatur abiecta litera *k* suffixi *ik*, et adiecto suffixo *kil*. Sic ex verbis e. g. un-itnilwit-ik, *cogitavi;* u-tsganatkagam-ik, *accusavi me ipsum* efformantur formae imperativae: itnilwit-am *cogita:* itnilwit-i-kil, *cogitate;* tsganatkagan-am, *accusa te ipsum;* tsganatkagan-i-kil. *accusate vosmetipsos*. Vides in formis imperativis verborum desinentium in *mik* literam *m* mutari in *n*. De eiusmodi alterationibus phonicis alibi sermo erit.

Si vis habere formas imperativas pro prima et tertia persona, illas desumes ex modo subiunctivo, quemadmodum et in aliis linguis fieri solet.

In verbis transitivis, si persona patiens sit secunda singularis vel pluralis, ad habendas formas imperativas adiicies themati desinentiam *u* vel *nu*; verum in forma numeri pluralis ante desinentiam inserenda est particula *awas*, quae est characteristica secundae personae patientis: e. g. tsikat-u, *adspice me;* tsikat-awas-nu, *adspice nos*.

MODUS SUBIUNCTIVUS.

Particula *l* inserta post characteristicas personarum est characteristica modi subiunctivi. Verba primae classis in modo subiunctivo reiiciunt desinentiam modi indicativi; verba secundae classis mutant desinentiam *ye* in *m*. Exempla: u-l-tsikat, *adspiciam;* n-l-tsina-m, *abeas;* l-itkinmik, *faciat se;* u-l-tsikat-alla, *adspiciamus;* u-l- tsina-g-alla, *eamus;* u-l-itkin-i-alla, *faciamus nos;* etc. Inde participia: ku-l-tsikat, *ut adspiciam;* kin-l-tsina-m, *ut eas;* k-l-itkinmik, *ut faciat se;* etc.

Forma subiunctivi modi usupatur pro conditionali temporis praeteriti, et pro modo optativo: e. g. u-l-tsikat, *si vidissem; utinam videam*.

Forma conditionalis temporis futuri est ipsum thema verbale insertis solummodo characteristicis personarum, adiecta praeterea, in verbis secundae classis, desinentia *m* Exempla: u-tsikat, *si adspexero;* u-tsikat-alla, *si aspexerimus;* n-tsina-m, *si abieris;* u-tsina-g-alla, *si abierimus;* n-itkinmik, *si fecerit se;* n-itkin-i-kil, *si feceritis vos*.. Forma conditionalis caret participio.

Desiderantur in verbo ksanka *infinitiva et gerundia*.

DE FORMA INTERROGATIVA

Ksanka nullam habent formam quae sit propria interrogationis, sed ad interrogandum utuntur participiis verborum; ita ut omnia verba quae sub interrogatione cadunt debent habere formam participialem: kutsgaltsikat? *adspicimusne?* kintsinam? *abiistine?* ktstsganatkagamik? *confitebiturne?*

Particulae interrogativae sunt: kapsin? *quidnam?* vel *curnam?* kalla? *quisnam?* kaa?, vel kaas? *quodnam? ubinam? quandonam?* Exempla: kapsin kiin? *quidnam est?* kapsin kintsinam? *eccur abiisti?* kaas kiin? *ubinam est?*

CAPUT I.

De Pronuntiatione

DE VOCALIBUS.

Vocales sunt *a*, *e*, *i*, *o*, *u*, *w*; quarum primas quinque sat bene pronuntiabis, si eas ad instar italorum pronuntiaveris: ultima vero *w* usurpatur solummodo ad diphtongos efformandas, et pronuntiatur ut *u* in *qui*, *quae*, *quod*.

Ksanka omnino carent *e*, et *o* apertis. Forte in desinentia *ge* verborum secundae classis habetur *e* clausum; forte etiam in vocabulis: he, *utique;* yaket, *tabacum* habetur *e* clausum. Verum in omnibus vocabulis in quibus videtur pronuntiandum *e* clausum posset sine dubio substitui loco *e* diphtongus *ai*, atque ita penitus reiici litera *e* ex alphabeto ksanka. Interdum tibi videberis audivisse sonum *e* aperti; dum reapse pronuntiata fuit vocalis *a*. Ratio est quia ksanka loquuntur labiis semiapertis, atque hinc inde horizontaliter distentis, et adhaerentibus dentibus; quo fit ut sonus vocalis *a* vix unquam sit clarus, cum eiusmodi vocalis non possit clare pronuntiari sine hiatu oris.

Ksanka vix distinguunt inter *o* clausum et *u*; imo, re etiam etymologice spectata, posses, alterutra harum vocalium reiecta, alteram semper usurpare, quin ulla inde aequivocatio exurgeret, atque indi, te loquentem optime intelligerent. Verum sunt quaedam vocabula, ut akinkoko *ignis*, in quibus *o* clausum praeferendum est vocali *u*.

Interdum percipitur sonus veluti medius inter *i* et *u*; imo sunt quidam indi qui in quibusdam vocabulis pronuntiant rotunde *i*, dum alii loco *i* pronuntiant *u*, sic audies: akukmuku et akukmiku, *cinis*; ipnamu, upnamu, *homo mortuus; ipslatil*, upslatil, *semper*: upskil, ipskil, *adhuc*, etc. In istis et similibus casibus, quandoque decernere poteris quaenam sit recta pronuntiatio, quandoque non poteris, et quae tibi magis arrideat, illam praeferes. Sane pronuntiandum est *ipnamu* et non *upnamu*; quia radix verbi morior est certissme *ip* non *up*. Omnes enim omnino indi pronuntiant participium *kiip* et nemo unquam pronuntiat *kiup*. Generatim loquendo pronuntiationem indorum qui vocantur *ksanka* praeferes pronuntiationi eorum qui vocantur *akuklalgo*;quia istorum lingua est dialectus linguae originalis. Isti indi akuklalgo particulam *miyit* semper pronuntiant *muyit*, et loco dicendi akilmiyit, *coelum:* ktsilmiyit, *nox*, dicunt *akilmuyit, ktislmuyit.*

DE ACCENTU ET QUANTITATE VOCALIUM.

Cum plurima vocabula ksanka sint sesquipedalia, consequitur unum idemque vocabulum plures suscipere accentus; verum vnus est accentus principalis. Accentus principalis fere semper cadit in penultimam syllabam, rarissime cadit in antepenultimam, nunquam in ultimam. Unde nullus in vocabulis notabitur accentus, nisi accentus cadat in antepenultimam syllabam; ubi enim nullus notatur accentus, signum est accentum cadere in penultimam syllabam. Vocabula quae habent accentum in antepenultima syllaba fere desinunt in *gani* e. g. unupgani, *video*, ukonyagani, *capio*.

Rarissima sunt vocabula monosyllaba; abhorrent enim ksanka a monosyllabis. Hinc vocabula quae per se deberent esse monosyllaba fiunt dissyllaba praefixa, ut plurimum, vocali *i*. Sic ex verbo utsga-ni, *loquor*, iuxta regulam generalem derivari deberet forma imperativa *tsgan*, cuius loco usurpatur i-tsgan, *loquere*. Sic etiam ex verbo wa-ge, *pervenit*, formatur participium *ki-wam*, loco *k-wam;* et ex verbo un-ip-ni, *morior*, formatur ki-ip, *qui mortuus est;* et ex verbo ka-ge, *transit* formatur ka-an, *transi*.

Vocalis in quam cadit accentus principalis est longa et aequivalet duabus cum accentu in prima. Sic vocabulum Yakasinkinmiki, *Deus* pronuntiabis ita: *Yakasinkinmìki;* pariter vocabula nasukwin, *dux, rex*; sukni, *bonus est* pronuntiabis *nasùnkwin, sùnkni* Idem dicito de aliis plus minusve.

Libentissime, ut simplicior evaderet ortographia, abstinuissemus a litera *w*, et eius loco usi fuissemus vocali *u*; at hoc non licuit praecipue propter accentum. Sane excluso *w* saepe dubitabis de syllaba in quam cadit accentus principalis; dum contra mediante litera *w* nullum dubium esse poterit. Etenim regula generalis est, nullam rationem esse habendam de litera *w* quando quaeritur locus accentus principalis; quia litera *w* vel est consona, vel format diphtongum cum vocali cui sociatur, in quam et non in *w* cadet accentus. Sic in vocabulis nasukwin, *dux, praeses;* nisawas, *cibavit nos;* kiwam, *qui pervenit*, illico cognoscis locum accentus, ex regula generali: dum ex eadem regula, si loco litera *w* poneres *u*, vocabula allata ita scribi deberent: *nasùkuin, nisàuas, kìuam*, quemadmodum iure merito scribis e. g. kuǹas, *qui esurivi* ex verbo un-uas-ni, *esurio*.

Litera *w* censenda est consona quoties illam sequatur vocalis *u* vel *o* et pronuntiatur ut in anglico *water*. Sic *w* est consona in vocabulis wu'u, *aqua*; kaswu, *amicus meus*; kwos *pipa ad hauriendum fumum ex tabaco;* quae duo postrema vocabula quaeso ne confundas cum kasu, *pater meus* (*filiae*); kos, *illic*. Pariter litera *w* censenda est consona quoties interiacet inter duas vocales, vel est prima litera vocabuli.

Litera *w* censenda est vocalis in particulis *ukwa, ukwi*: imo in eiusmodi particulis, quicumque demum sit earum locus in vocabulo, litera *w habenda est* ut phonica. Mos enim est penes ksanka, ut quoties in aliquo vocabulo litera *k* interiaceat inter vocalem *u* et vocalem *a* vel *i*, inseratur post *k* vocalis auxiliaris *w*, quae est veluti *echo vocalis* u praecedentis. Quod ut intelligas, animadverte primam personam verbi e. g. kakani, *ita se habet* pronuntiari *ukwakani* loco *ukakani*. Similiter eadem particula *kin* assumit *w* post *k* in verbo nukwinni, *perfecit*, et immutata manet in verbo nitkinni *fecit*. Similiter habes kaǹpgani, *non vidit*,

ukwaupgani, *non vidi;* kakiltsgamalni, *ibi oravit*, ukwakiltsgamalni, *ibi oravi*: etc.

Verba quae desinunt in *kani*, assumunt phonicam *w* ante suffixum *alla* pluralitatis. Sic ex verbo ukwakani, *ita me habeo* prodit plurale ukakwallani, *ita nos habemus*, ubi vides apparere *w* post secundum *k* et evanuisse post primum *k*, quod sane probat literam *w* esse phonicam. Inde intelligis non esse opportunum abiicere literam *w* et et pro illa uti vocali *u*, cum non posses inde cognoscere primo intuitu utrum vocalis *u*, phonica sit an non.

Ut absolvamus ea quae pertinent ad quantitatem vocalium, aliquid dicendum est de vocalibus duplicatis. Interdum vocalis aliqua duplicatur, et nulla animadversio facienda est circa pronuntiationem e. g. kaakalt, *filius meus* vel *filia mea;* akilnuus, *stella*. Interdum vocalis duplicata pronuntianda est interiecta brevissima pausa, quod apostrophe notabitur. Sic pronuntiabis wu'u, *aqua;* lu'u, *subula;* nitsta'al, *iuvenis;* tsu'u, *lac;* ka'an, *transi*. Quod si placeret vocabula ista et iis similia scribere interposita litera *h*, esto; verum puto nullam in lingua ksanka esse veram aspirationem.

Interdum concursu duarum vocalium efformatur diphtongus interdum non formatur: e. g. ktukutskàkiam, *nuntia* (*nuove*); ktsganatkaganiam, *confessio*. Placet hoc loco animadversionem facere. Si occurrat vocabulum in quo vocalem *i* sequatur alia vocalis, et accentus principalis cadat in *i*, signum tibi erit vocabulum, ut plurimum, habere formam reflexivam. Sane *ktsganatkaganiam*, derivatur ex forma reflexiva *tsganatkagamik*, et ex. g. nasukwinintiis, *eius* vel *eorum duces*, derivatur ex *nasukwinintik*, quod habet formam reflexivam.

DE CONSONIS.

Consonae sunt *g, k, l, m, n, p, s, t, w, y, ts*.

g gutturalis est, et pronuntiatur quemadmodum hispani pronuntiant suum *iota;* quod si gutturis nisus sit intensus, litera *g* tibi videbitur similis literae *r* parisiensium; verum ab eiusmodi nisu gutturis impune abstinere potes.

k triplicem habet sonum. Primus est ille ipse sonus quem habet in aliis linguis communiter, ut in kakani, *ita se habet;* akotal, *securis;* nakni, *natat.* Alius sonus est gutturalis, secundum quem pronuntiatur prima *k* in verbo kakani, *ruptum est* (*dicitur de chorda et similibus*); idem sonus habet *k* in akotal, *adeps.* Tertius sonus est ille quem *k* habet in nakni, *est aqua* (*vi è dell' acqua*); et fortasse eodem modo sonat secundum *k* in kwilinkalka, *magnus ner-vus,* prout distinguitur a vocabulo kwilinkalka, *magnus columine.*

Interdum litera *k* duplicatur: sic k'kikul, *panis* et kikul, *potus eius.* Non raro putabis unum tantum *k* pronuntiandum esse, dum reapse duo pronuntiari debent alterum ab altero aliquantulum separatum.

l pronuntiatur ut solet a polonis, id est ora linguae adhaerente fortiter palato vel dentibus circa palatum, et propulsato aere inter linguam et palatum, ita ut aer egrediatur vel ex uno, vel ex utroque latere linguae. Communis pronuntiatio literae *l*, quae in omnibus aliis linguis locum habet, nulla est in lingua ksanka. Ne putes literam *l* aequivalere latino *tl;* sonus enim literae *l* est omnino simplex, quamvis aliquam similitudinem habeat cum *tl* latino.

Praeter sonum ordinarium, litera *l* habet alium sonum, qui difficillime percipi potest, qui fortasse est sonus aliquo modo similis illi quem habet *th* lene anglorum. Eiusmodi sono gaudet litera *l* in vocabulo *nukwilinni*, quando significat *unusquisque est*, vel *omnes sunt;* dum contra si idem vocabulum proferendo pronunties *l* modo ordinario, illud significabit *unus est.* Vocabulo *nukwilinni* utimur in Cathechismo, ubi diciur *unamquamque* personam divinam esse Deum; sed si non recte pronuntietur istud vocabulum, sensus erit in Deo esse *unam* tantum personam.

m, *n*, *p*, *s*, *t*, pronuntiantur ut communiter ab omnibus pronuntiari solent.

Placet hoc loco animadversionem facere. Characteristica *n* secundae personae regentis verbum duplicatur, ut vidimus, si sequatur vocalis. Si minus distincte illud duplex *n* pronunties, facile qui audiunt confundent secundam personam cum tertia, e. g. n'nupgani, *vidisti*, cum nupgani, *vidit.* Proinde melius est

iater illa duo *n* interponere vocalem *i* et pronuntiare *ninupgani*, loco *n'nupgani*.

Etiam litera *t* interdum duplicatur, et pronuntiari debet interposito inter utramque brevissimo temporis intervallo: ita pronuntiabis vocabulum ut'tsukuni, *terebro, pungo;* ut illud distinguas ab utsukuni, *ascendo* (*e. g. candelas, tabacum et similia*)

De litera *w* satis abunde superius loquuti sumus agentes de quantitate et accentu vocalium.

y pronuntiabi ut pronuntiatur in anglico *yes* e. g. yiski, *quantitas*, iyamu, *boves et oves*, yamu, *fumus*. Interdum dubitabis utrum in initio vocabuli locum habeat consona *y*, an vocalis *i*. Verum ad dubium tollendum suppetit criterium, quod fere in omnibus casibus applicari potest. Si vocabulum de quo dubitas est verbum, ut communiter contingit, interrogabis indum ut pronuntiet tertiam personam praeteriti perfecti, illius verbi. Si in pronuntiando eiusmodi formam verbi, indus praeponit literam *n*, sit tibi signum, vocabulum incipere a vocali *i*; quod si pronuntiatio fit sine litera *n*, cognosces vocabulum incipere a consona *y*. Eodem plane criterio distingues utrum vocabulum incipiat a vocali *u* vel a consona *w*. Confer quae dicta sunt de praefixo *n* characteristica tertiae personae verbi.

ts pronuntiatur perinde ac *z* asperum. Praetulimus duplicem consonam *ts* simplici *z*, ut ii qui in sua lingua vel semper vel ut plurimum, leniter pronuntiant consonam *z* nunquam fallantur, si ksanka aliquando locuturi sint.

Interdum tamen *ts* ita pronuntiandum est, ut percipiatur distinctio inter *t* et *s*; in hoc casu, qui raro accidet, separabitur *t* ab *s* mediante apostrophe: e. g. utsukwat'sawasni, *sumpsit pro nobis*, ex verbo utsukwati, *sumpsi*.

Interdum putabis loco *ts* pronuntiandum esse *ch* anglicum. Verum res non ita se habet. Certissime duplex est sonus consonae *ts*, alius magis, alius minus asper, sed uterque differt a sono quem *ch* anglicum habet. Sonus minus asper, communiter locum habet quoties consonam *ts* praecedit consona *k*, quod frequentissimum est *in lingua* ksanka. Verum si nullam in pronuntiatione distinctionem facias inter illum duplicem sonum minus et plus asperum, nullum plane inconveniens consequetur.

CAPUT II.

De Nomine Substantivo

Articulus indefinitus nullus est in lingua ksanka. Dubitari etiam potest utrum sit articulus definitus, qui stet seorsim a nomine. De articulo definito, si quis est, qui componitur cum nomine alibi sermo erit.

Saepissime ksanka utuntur pronomine demonstrative ad instar articuli definiti Pronomen demonstrativum est *na* vel *nas*, et significat *hic, haec, hoc.* Istud pronomen habet vim articuli definiti quando adhibetur in enumeratione plurium rerum: e. g. na gapi, na k'kikul, na akulak, kapi sukni; *bulbi, panis, caro, omnia sunt bona* (*le gamasce, il pane, la carne, sono tutte cose buone*). Pariter in sententia: Yakasinkinmiki kausakani nas aklsınakniks, *Deus commoratus est cum hominibus*, pronomen *nas* habet vim articuli (*cogli uomini*). In istis exemplis in quibus pronomen *na, nas* optime verti tur per articulum definitum, sensus destrueretur, si loco articuli utereris pronomine, et diceres: *istae radices, iste panis, ista caro sunt bona; Deus conversatus est cum istis hominibus.* Hisce praeiactis circa articulum, gradum faciamus ad nomina substantiva.

Nomina substantiva possunt distribui in quinque classes. Prima classis est eorum quae habent ipsissimam formam participialem: secunda classis est eorum, quae habent quidem formam propriam quam appellabimus (*y*), sed a verbis derivantur: tertia classis est eorum nominum, quae sunt ipsa themata quorumdam

verborum: quarta classis est eorum nominum, quae habent commune praefixum *ak*, et de quibus dubitari potest utrum nec ne a verbis derivata sint: demum quinta classis est eorum nominum, quorum unumquodque individuam formam ab aliis diversam habet, ac nullatenus dici possunt derivata a verbis. De duabus postremis classibus nominum in praesenti loquendum est: de aliis alibi sermo erit. Exempla

titkat, *vir*,	palki, *mulier*,	aklsmaknik, *homo*,	akulak *corpus*,
lkamu, *puer*,	nasukwin, *praeses*,	aklu, *nix*,	akwit *glacies*
wu'n, *aqua*,	wilmal, *crotalus*,	akukwat, *auris*,	akuknuk *lacus*,
amak, *terra*,	suak, *hamus*,	akitlanam, *domus*,	akaltam *filius*.

Plurima nomina substantiva cuiusvis classis suscipiunt suffixum -*am*, vel-*nam*. Suffixum istud dupliciter modificat significationem nominis. Primo dat nomini quoddam esse absolutum, quo fit ut nomina quae habent suffixum *am* non possint in se suscipere pronomen possessivum, quo ad alia nomina referantur. Sic ex, nomine e. g. *akalt-am*, quod significat *filius* absolute, si vis derivare nomina quae significent *filius meus*, *filius tuus*, *filius eius*, debes prius abiicere suffixum *am*, et postea nomen componere cum particulis *ka*, *nis*, *is*, quae repraesentant pronomen possessivum, atque inde exurgent nomina relativa ka-akalt, *filius meus;* akalt-nis, *filius tuus*; akalt- is, *filius eius*.

Praeterea suffixum *am* coarctat nominis significationem ad hominem exclusive; ac proinde nunquam usurpabis nomen eiusmodi suffixo gaudens, cum sermo erit de re vel de bellua. Sic si tibi occurrat auris humana decisa ex corpore, illam appellabis *akukwatnam:* si autem occurrat auris belluina dices *akukwat*. Hinc intelligis omnia et sola nomina, quae de homine dici possunt, assumere suffixum *am*.

Nomina substantiva praeter suffixum *am* possunt etiam assumere suffixum *mal*. Quoties aliquod nomen substantivum praedicatur de pluribus subiectis, et dum praedicatur de uno intenditur exprimi illud praedicatum esse commune alteri subiecto, usurpatur suffixum *mal*, inserto pronomine possessivo in nomine. Sic ex nomine

titkat *vir* habes ka-titkat-mal, *vir sicut et ego;* titkat-mal-nis, *vir sicut et tu;* titkat-mal-is, *vir sicut et ille.* Nomina ista potes etiam ita vertere: *meus proximus, tuus proximus, eius proximus.* Verum generatim loquendo nomen compositum ex pronomine possessivo et suffixo *mal* vertitur per ipsum nomen et pronomen *alius* cum praepositione *cum.* Sic loquens cum aliquo puero, si illum interrogas: kinalwats nitsta'al-mal-nis? hoc significat: *lusisti ne cum aliis pueris?*

Alibi sermo iterum erit de suffixis *am* et *mal*, quae primario sunt suffixa verbalia.

DE DECLINATIONE NOMINIS SUBSTANTIVI.

Nullum est genus in nominibus. Nulla est declinatio proprie dicta nominis per casus, sed est aliquid declinationi aequivalens.

Unum ex praecipuis muneribus casus nominativi, accusativi et ablativi in lingua latina, in eo est ut mediantibus casibus nominativi et accusativi, et ablativi, distinguatur subiectum regens verbum transitivum vel a termino, qui recipit actionem significatam per verbum, si verbum est formae activae, vel a termino a quo procedit actio significata per verbum, si verbum est formae passivae. In lingua ksanka subiectum verbi distinguitur a termino eiusdem per duplicem formam, quam nomen assumere potest, alteram ordinariam, alteram secundariam; ita ut forma ordinaria in lingua ksanka idem praestat ac casus nominativus in lingua latina, et forma secundaria idem praestat ac casus accusativus vel ablativus. Declaremus rem exemplo. Verbum unipilni, *occidi*, in tertia persona habet formam activam nipilni, *occidit*, et formam passivam niplapsi, *occisus fuit*: nomina, *vir*, *mulier* in forma ordinaria sunt *titkat*, *palki;* in forma autem secundaria sunt *titkats*, *palkis:* inde habes locutiones: titkat nipilni palkis, *vir occidit mulierem:* titkat niplapsi palkis, *vir occisus fuit a muliere.* In quibus locutionibus vides nominativum exhiberi per formam primariam nominis, accusativum vero et ablativum repraesentari forma secundaria. Verum ne putes formam primariam nominis per se et ratione sui esse casum nominativum, et formam secundariam esse casum vel accusativum vel ablativum. Etenim, ut suo loco videbimus, ipsemet casus accusativus vel abla-

nibus, ut casus ad sola nomina pertinent, sed extenditur ad omnia vocabula, exceptis quibusdam coniunctionibus. Demum forma ordinaria et secundaria eatenus usurpatur ad evitandam ambiguitatem sermonis, quae oriri potest ex defectu casuum; quatenus ad omnes cuiusvis generis ambiguitates in sermone praecavendas destinata est.

Casus genitivi defectui ksanka optime supplent pronomine possessivo. Etenim loco dicendi ex. g *filius Petri*, dicunt *filius eius Petrus* vel *Petrus filius eius.* Istae locutiones latinae male sonant, quia nomen Petrus est in casu nominativo: quod si posset efferri nomen Petrus absque ullo casu, ut fit in lingua ksanka, eo ipso offensio aurium omnino cessaret.

Defectui casus dativi multipliciter supplent ksanka mediantibus particulis insertis in verbo. Istae particulae possunt considerari veluti totidem signacasus dativi. Praecipua harum particularum est *kts*, quae commodum vel incommodum significat. Sic e. g. dum verbum *unamati*, significat simpliciter *do, alieno*, (*do eia*); verbum *unamati-ktsi*, significat *do alicui;* ita ut nomen, ad quod refertur eiusmodi verbum, ex ipsa forma verbi intelligitur esse in casu dativo; unde habes unamati-kts-i nasukwin, *dedi duci.* Particula *Kakil* quae significat *in* etiam potest considerari ut signacasus dativi. Sane si eiusmodi particula inseratur verbo utsganatkagamik, *confiteor peccata mea*, poteris dicere: ukwakiltsganatkagamik kamkokukulkatwumlat, *confessus sum peccata mea in presbytero;* ubi *in presbytero* evidenter aequivalet dativo *presbytero.* Aliae sunt particulae quae se habent ut signacasus dativi, easque suo tempore cognosces. Ceterum vix usui esse potest casus dativus nisi ad significandum commodum vel incommodum.

Casus vocativus significatur vel solo nomine sine addito, e. g. aklsmaknik, *o homo;* kaakalt, *fili mi*, et ex contextu et circumstantiis sermonis dignoscitur; vel nomini praeponitur participium kinin, *tu qui es;* locutio enim e. g. *tu qui es Petrus*, aequivalet alteri *o Petre.* Quando usurpatur participium *kinin* pro casu vocativo, solet ad

maiorem evidentiam praeponi pronomen demonstrativum *na* e. g na kinin nasukwin, *hic tu qui es dux* sive *o dux*.

DE NUMERO IN NOMINIBUS.

Numerus nominum triplex est, singularis, dualis, pluralis. Ante omnia animadvertendum est quodlibet nomen posse dici de uno et de multis indiscriminatim; vel si placet, dicas: nomen sub numero singulari posse usurpari loco nominis sub numero plurali. Sic e. g. nomen *aklsmaknik*, potest latine verti vel per *homo*, vel per *homines*. Imo communiter ksanka utuntur simplici vocabulo tum cum loquuntur de uno, tum cum loquuntur de pluribus: raro enim illos audies usurpantes propriam formam nominis pluralis.

Characteristica numeri dualis est suffixum *kistik* e. g. titkat. *vir;* titkatkistik *duo viri*. Vix unquam ksanka usurpant nomen in numero duali.

Nomen duplici modo aquirere potest formam pluralitatis: vel suffigendo particulam *-nintik*, vel praefigendo particulam *al-*. Praefigitur particula *al* iis nominibus quae gaudent praefixo *ak*, aliis vero nominibus suffigitur particula *nintik*. Exempla: titkat, *vir;* titkat-nintik, *viri;* lkamu, *puer;* lkam-nintik, *pueri;* ksahan, *peccatum;* ksahan-nintik, *peccata;* akaltam, *filius*, al-akaltam, *filii;* akniknam, *parens;* al-akniknam, *parentes*.

Si nomen continet pronomen possessivum, poteris indiscriminatim usurpare vel suffixum *nintik*, vel praefixum *al*, ad plurale efformandum. Exempla: ka-titkat, *meus vir* ka-titkat-ninti-alla, *vel* al-ka-titkat-nalla, *nostri viri*.

Verum uteris praefixo *al* reiecto suffixo *nintik*, si nomen desinit in *am:* sic plurale nominis e. g. palkinam, *mulier*, est *al-palkinam*, non *palki-nam-nintik*.

Quoties agitur de aliqua re, in qua duplex pluralitas considerari potest, ut cum sermo est de pluribus, qui in pluribus locis diversis mortui sunt, vel degunt, vel de pluribus tribubus, nationibus, et similibus, duplex ista pluralitas significatur per suffixum *kantik*. Sic ex. g. *ksanka-kantik* significat complexum tribuum illorum indorum qui appellantur *ksanka*. Ut plurimum particula *kantik* verbis inseritur, et interdum simplicem non duplicem pluralitatem significat.

Sunt et aliae particulae quae pluralitatem significant, sed verbis non nominibus per se copulantur: est particula *ukwil*, quae significat *omnes* distributive: e. g. n-ipni, *mortuus est;* n-ukwil-ipni, *omnes mortui sunt.* Ipsum suffixum *am*, dum verbis inseritur, interdum pluralitatem significat: sed de his alibi sermo erit.

Sunt demum quaedam vocabula, quae ratione sui sunt pluralia, quatenus eorum radix in numero plurali est diversa ab eorundem radice in numero singulari: e. g. aki-tla-nam, *domus*: aki-klu-nam, *plures domus:* unde verbum nilkilwi-ni, *est sapiens* dicitur de uno et pluribus, verbum autem *nilkilwi-klu-ni*, dicitur de aliqua sectione familiarum, vel tribu. Similiter habes nipni, *mortuus est:* nuknukni, *mortui sunt.*

DE FORMA SECUNDARIA NOMINIS SUBSTANTIVI.

Superius mentionem fecimus de duplici forma ordinaria et secundaria vocabulorum. In praesenti praestat aliquid de eiusmodi duplici forma dicere respectu nominum substantivorum. Forma secundaria, ut monuimus, praecipue inducta est ad praecavendas ambiguitates in sermone, praesertim eas quae oriuntur ex pluribus nominibus, inter quae distinguere oportet subiectum verbi a terminis ad quos verbum refertur, et inter terminos discernere quinam proxime, quinam remote ad verbum referatur.

Characteristica formae secundariae nominum est suffixum *is* pro nominibus qui gaudent suffixo *am*, pro iis vero qui suffixo *am* destituuntur, characteristica formae secundariae est ipsum suffixum *is* reiecta vocali *i*, seu, quod idem est, est suffixum *-s*. Exempla akaltam, akaltam-is, *filius hominis;* kilkilwinam, kilkilwinam-is, *sapientia;* amak, amak-s *terra;* nasukwin, nasukwin-s, *praeses;*

Interdum ipsa nomina quae desinunt in *am*, mediante solo suffixo *s* induunt formam secundariam: e. g. tsanam, tsanam-s, *frater viri natu minor.*

Ratio cur in nominibus, quae non desinunt in *am*, suffixum formae secundariae sit *s* et non *is* est haec. Nomina quae non desinunt in *am*, ut supra monuimus, suscipere possunt in se ipsis pronomen possessivum; pronomen autem possessivum tertiae personae vidimus esse ipsum suffixum *is*. Si ergo idem suffixum

usurparetur pro forma secundaria istorum nominum, eo ipso non posset discerni utrum nomen, eiusmodi suffixo instructum, sit forma secundaria, an potius sit ipsa forma ordinaria cum pronomine possessivo. Ad hanc ambiguitatem vitandam usurpatur pro forma secundaria, suffixum *s* loco suffixi *is*. Ambiguitas, de qua loquimur, locum habere non potest in nominibus, quae gaudent suffixo *am*, ut quae non suscipiant in seipsis pronomen possessivum.

Nomina dualia vel pluralia, et si quae sunt alia, quae desinunt in *ik*, assumunt suffixum *is* in forma secundaria, mutant praeterea suffixum *ik* in *ak:* e. g. nasukwinintik, nasukwinintak-is, *dux*.

Alibi loquemur de forma secundaria nominum quae in se continent pronomen possessivum.

DE NOMINIBUS DIMINUTIVIS.

Nomina diminutiva fiunt suffigendo particulam *-nana:* e. g. naoti, *puella;* naoti-nana, *parva puella*; lu'u, *subula;* luunana, *acus;* suak, *hamus*; suaknana, *parvus hamus.*

CAPUT III

De Nominibus Adiectivis.

In lingua latina cum praedicamus qualitatem de aliquo subiecto, utimur verbo *est* et nomine adiectivo; ksanka vero utuntur verbis qualificativis; e. g. usukni, *sum bonus*; nsukni, *es bonus*. Participia horum verborum usurpari possunt tamquam nomina adiectiva. Exempla:

sukni,	*est bonus*,
sahanni,	*est malus*,
komnakakani,	*est miser*,
namnanakatini,	*est validus*,
litakatini,	*est piger*,
katsmkakani,	*est strenuus*,
nilkilwini,	*est sapiens*,
wilkani,	*est magnus*,
wukani,	*est longus*,
tsakunani,	*est parvus*,
yunakani,	*sunt multi*,
tsamnani,	*sunt pauci*.

---

kisuk,	*bonus, pulcher*,
ksahan,	*malus*,
k'komnakaka	*miser*,
kamnanakati,	*validus, prospere se habens, sollers*,
klitakati,	*piger, ignarus, inactivus*,
k'katsmkaka,	*strenuus, acris ingenii*,
kilkilwi,	*sapiens, prudens, honestus, callidus*,
kwilka,	*magnus*,
kwuka,	*longus*,
ktsakuna,	*parvus*,
kyunaka,	*multi*.

Verba qualificativa vel adiectivalia, de quibus loquimur, sunt etiam verba adverbialia: e. g. sukni, *bene est;* yunakani, *pluries est*; unde kisuk, *bene;* kyunaka, *pluries*.

Verum admodum raro ksanka usurpant participia verborum qualificativorum tamquam adiectiva nomina vel adverbia. Etenim vel ipsa verba qualificativa verbaliter usurpant, vel ea componunt cum nominibus, vel cum aliis verbis. Sic loco dicendi e. g: kyunaka, unupgani, *multos vidi, vel pluries vidi*, dicunt: yunakani kuupga, *plures sunt quos vidi*, vel *pluries est quod vidi*. Pariter loco dicendi kisuk titkat, *bonus vir;* dicunt ksukwil-tit-kat, *qui est bonus vir* ex verbo composito sukwiltitkatini, *est bonus vir*. Similiter loco dicendi *kisuk utsganatkagamik*, dicunt usukwil-tsganatkagamik, *bene confessus sum*. Pariter loco dicendi k'komnakaka amak, *misera terra*, dicunt *k'komnaka-liit*, quod vocabulum est participium verbi komnakaliitni, *est misera terra*. Particula *liit* in compositione idem significat ac nomen amak, *terra, locus, regio, plaga*.

Verba qualificativa, substantivaliter usurpari possunt, et sub hac acceptione vertuntur latine per nomen adiectivum neutrius generis: e. g. sukni, *bonum est*; sahanni, *malum est*. Participia autem horum verborum habent vim nominis substantivi: kisuk, *bonum*; ksahan, *malum;* kyunaka, *multum*.

Quamvis fere omnia nomina adiectiva ex verbis qualificativis deriventur, sunt tamen quaedam adiectiva nomina, atque simul adverbia, quae primitiva dici possunt, id est a verbo non derivari. Eiusmodi sunt

usmik,	*primus*,	*praecipuus*,	*primo*,	*praecipue;*
unik,	*ultimus*,	*infimus*,	*postremo*,	
wupnik,	*optimus*,	*optime*, (dicitur praecipue de vestimentis)		
pikaknik,	*mediocris*,	*mediocriter*.		
upak,	*primus*, (in ordine successionis)			
lnahak,	*ultimus*,	*postremo*,		
akatak,	*proximus*,	*prope*,		
lkahak,	*longinquus*,	*longe*, *procul*.		

DE COMPARATIVIS ET SUPERLATIVIS.

In lingua ksanka nulla est forma propria nominis comparativi vel superlativi. Verum est modus quidam loquendi, quo ksanka significant excessum vel eminentiam, secundum quam

forma aliqua ab aliquo subiecto prae aliis participatur. Id quod praecipuum est in hoc modo loquendi est quaedam particula *-isnil*, cuius significatio in antecessum explicanda est.

Particula *isnil* est particula demonstrativa, quae designat unum prae aliis. Ut vis huius particulae percipiatur, esto e. g. verbum nitkinni, *fecit.* Si volo dicere e. g. *Deus fecit me* dicam: *Yakasinkinmiki nitkinapni.* Verum si volo ita designare Deum ut meum factorem, ut excludam alios ab huiusmodi praedicati participatione, inseram verbo *nitkinni* particula *isnil*, ac dicam: Yakasinkinmiki nisnil-itkinapni. *Deus est ille qui fecit me.*

Hac particula *isnil* utuntur ksanka pro nominibus comparativis hoc modo. Prius nominant definite duo vel plura subiecta, et postea de uno ex istis subiectis affirmant mediante verbo aliquod praedicatum, inclusa in verbo particula *isnil.* Hoc autem significat istud praedicatum ita affirmari de illo subiecto, ut alia subiecta saltem non in eodem gradu participent de illo praedicato: e. g. na akulak, na k'kikul, akulak nisnil-sukni, *caro, panis, caro est illa quae est bona*; quod significat carnem esse meliorem pane.

Ad comparativa efformanda uti possumus adverbio *anlunu*, quod significat *ulterius*, quodque aequivalet latino *magis*: e. g. sukni k'kikul, anlunus sukni akulak. *bonus est panis, ulterius bona est caro: anlunus* est forma secundaria.

Ad superlativa efformanda plures patent viae. Quando significari vult aliquod subiectum excellere in aliqua forma prae omnibus aliis subiectis similibus, superlativum ita efformatur. Prius designanda est aliqua ratione totalitas omnium subiectorum similium, deinde designandum est unum aliquod ex illis subiectis, demum adhibita particula *isnil* affirmatur de hoc subiecto forma de qua sermo est: e. g. na kapi aklsmaknik. St. Mali nisnilsukni, *omnes homines. Sancta Maria est illa quae bona est*, quod significat S. Mariam esse omnium hominum optimam.

Interdum ad superlativa efformanda non usurpatur particula *isnil*, ut cum dico e. g. nsukni kapi aklsmaknik, *bonus es prae omnibus hominibus.* Hic modus loquendi per accidens significat praeeminentiam superlativam, quatenus locutio: *tu es bonus omnes homines*, nullum alium sensum fundere potest, nisi quod tu sis

bonus prae omnibus hominibus. Hinc si locutio sit de tertia persona, eiusmodi modus loquendi nullam praeeminentiam unius prae ceteris significabit; quia locutio potest alium sensum eumque obvium habere. Sane si dicas: *suuni kapi aklsmaknik*, sensus erit: *boni sunt omnes homines*.

Alius modus efformandi superlativum est via negationis. Locutiones autem negativae quae aequivalent locutionibus superlativis possunt reduci ad duas formulas; utraque formula respicit excellentiam in qualitate et in quantitate. Exemplis res fiet manifesta·

Exempla primae formulae:

luni k'kaka, yakakapski Yakasinkinakiski, *nihil est quod tale sit, qualis est Deus.*

litilkasni, yistski Yakasinkinakiski, *nihil est quod tantum sit, quantus est Deus.*

litilkal-ilkilwi-ni, yakal-ilkilwi-ski Yakasinkinakiski, *nemo est ita sapiens, quemadmodum sapiens est Deus.*

litilkas- wilulak-ni, yis-wilulak-ski nasukwins, *nemo est adeo magnus corpore, quemadmodum corpore magnus est dux.*

luni k'kal-sahan, yakal-sahan-ski kmatlis, *nemo est ita malus, quemadmodum est malus diabolus.*

luni k'kas-wilwum, yis-wilwum-ski Mathiass, *nemo habet ventrem ita magnum quemadmodum* Mathias.

luni kalla lkal-komnakalukunigakanawi, yakal-komnakalukunigakanawi-ski Yakasinkinakiski, *nemo est qui sit ita misericors, quemadmodum misericors est Deus.*

luni k'kal-suk, nyakal-suk-milki, *nemo est ita bonus, sicut tu es bonus.*

litilkal-ilkilwi-ni, uyakal-ilkilwimilki, *nemo est ita sapiens, ut ego.*

Praestat explicare significationem vocabulorum quae in allatis exemplis continentur.

kakani, *talis est, ita se habet*; kasni, *tantus est;* n-ilkilwi-ni, *est sapiens;* wilulak-ni, *est corpore magnus;* sahan-ni, *est malus*; kmatil *diabolus;* wilwum-ni, *ventriosus;* komnakalukunigakanawi-ni, *misericors est;* suk-ni, *est bonus;* Yakasinkinmiki, *Deus.*

In allatis exemplis sufficit ponere quodvis thema verbale loco thematum verbalium *ilkilwi*, *wilulak*, *sahan*, *wilwum komnakalukunigakanawi*, *suk*, et loco nominum Dei, ducis, Mathiae, diaboli, quodvis aliud nomen, ut formulae superlativae applicentur cuilibet rei, de qua incidat sermo. Explicare compositionem vocabulorum, quae in formulis continentur est res alterius loci: sufficit in praesenti formulas tradidisse.

Exempla secundae formulae:

lusi kgatskal-ilkilwi-mal, *nullus est socius eius vel aequalis ipsi in sapientia.*

lusi kgatskas-wilulak-mal, *nullus est socius eius in magnitudine corporis.*

luni kugatskal- ilkilwi-mal, *non habeo aequalem mihi in sapientia.*

luni kingatskal-ilkilwi-mal, *nullus est tibi aequalis in sapientia.*

Quae notavimus circa exempla prioris formulae, et huius formulae exemplis applicanda sunt.

Superlativa efformari etiam possunt ope quorumdam adverbiorum, vel particularum cumverbialium, quae nil aliud sunt nisi adverbia verbo inserta. Eiusmodi adverbia sunt e. g. usmik, *praecipue;* katsmkakani, *strenue est*, etc. Particulae sunt tsmakil-, *valde*, *kats-*, vel *naptil-*, *superlative*, et si quae sunt aliae. Exempla: usmiks kisuk, *praecipue bonus*, *summe bonus;* tsmakilsukni, *est valde bonus;* katsiminuklu, *candidissimus*, ex verbo unaminukluni, *sum albus;* naptilsahanni, *non plus ultra malus est.*

DE NOMINIBUS NUMERALIBUS

Inter verba qualificativa recensenda sunt verba numeralia quae usurpari possunt ad instar adiectivi nominis, vel ad instar adverbii; e. g. nukwini, *est unus; semel est;* nasni, *sunt duo*; *est bis;* kalsani, *sunt tres; ter est* etc. Unde participia kukwi, *unus*, *semel:* kias, *duo*, *bis;* k'kalsa, *tres*, *ter;* etc. Quae generatim diximus de verbis qualificativis, sine ulla mutatione applicanda sunt verbis numeralibus.

Quando actu aliqua multitudo numeratur, usurpantur non participia, sed ipsa themata verborum numeralium, quae themata dici possunt numeri cardinales. Accipe schema numerorum cardinalium.

1.	ukwi	11.	yitwum-la-ukwi	10.	yitwu
2.	as	12.	yitwum-la-as	20.	aiwu
3.	kalsa	13.	yitwumlakalsa	30.	kalsanwu
4.	gatsa	14.	yitwumlagatsa	40.	gatsanwu
5.	yikwu	15.	yitwumlayikwu	50.	yikwunwu
6.	inmisa	16.	yitwumlainmisa	60.	inmisanwu
7.	wistala	17.	yitwumlawistala	70.	wistalanwu
8.	wugatsa	18.	yitwumlawugatsa	80.	wugatsanwu
9.	kaikitu	19.	yitwumlakaikitu	90.	kaikitunwu
10.	yitwu	20.	aiwu	100.	yitwunwu
		21.	aiwumlaukwi		
		22.	aiwumlaas		

100.	yitwunwu	1000.	yitwulyitwunwu
200.	as-l-yitwunwu	2000.	aslyitwulyitwunwu
300.	kalsa-l-yitwunwu	3000.	kalsalyitwulyitwunwu
400.	gatsalyitwunwu	4000.	gatsalyitwulyitwuwu
500.	yikwulyitwunwu	5000.	yikwulyitwulyitwunwu
600.	inmisalyitwunwu	6000.	inmisalyitwulyitwunwu
700.	wistalalyitwunwu	7000.	wistalalyitwulyitwunwu
800.	wugatsalyitwunwu	8000.	wugatsalyitwulyitwunwu
900.	kaikitulyitwunwu	9000.	kaikitulyitwulyitwunwu
1000.	yitwulyitwunwu	10000.	yitwulyitwulyitwunwu

In istis vocabulis literae *m* ut in *yitwu-m-la-ukwi*, *l* ut in *as-l-yitwunwu* sunt phonicae sive conglutinativae; particula vero *la* ut in *yitwum-la-ukwi* est particula iterationis, quae proinde idem valet ac *iterum*. Ista particula usurpari debet quoties enuntiatur numerus qui pluribus decadibus constat. Sic si vis pronuntiare e g. numerum 1894 dices: *yitwulyitwunwu la wugatsalyitwunwu la kaikitunwu la gatsa.*

Nomina numeralia modo considerata, praecipue inserviunt, ut diximus, ad aliquam multitudinem numerandam, ac praescindunt a

notione temporis. Quoties vero notio temporis significanda est, usurpari debent vel verba numeralia, vel eorum participia. Diximus nomina numeralia in schemate exhibita praecipue in numeratione usurpari, quia etiam extra numerationem interdum usurpari queunt. Sic si e. g. indices duos homines et quaeras quinam ex illis sit v. g. Petrus, dices:na ukwi, la na ukwi, kalla kisnilin Piel? *hic unus iterum hic unus (id est hic alius), quinam est ille qui est Petrus?*

Si componas themata verborum numeralium cum particula *miyit*, quae significat *dies*, inde prodibunt verba numeralia dierum: e. g. sl-uku-n-miyit-ni, *est nunc unus dies*, sl-ai-miyit-ni, *sunt nunc duo dies*; silkalsanmiyitni, *sunt nunc tres dies;* nukunmiyitni, *fuit unus dies;* naimiyitni, *fuerunt duo dies*, kalsanmiyitni, *fuerunt tres dies;* tsgalukunmiyitni, *erit unus dies;* tsaimiyitni, *erunt duo dies;* tsgalkalsanmiyitni, *erunt tres dies;* etc. Vides in compositione elementorum quibus coalescunt haec verba fieri modificationes phonicas: e. g. *as* mutatur in *ai*, et praeterea inseruntur literae phonicae *l* et *n;* quid simile fere accidit in qualibet compositione.

Si in verbis modo relatis loco particulae *miyit* inseras particulam *makwut;* loco verborum numeralium dierum, habebis verba numeralia annorum: e. g. slukunmakwutni, *est unus annus;* naimakwutni, *fuerunt duo anni;* tsgalkalsanmakwutni, *erunt tres anni.*

Verba ista numeralia dierum et annorum non possunt praedicari de persona; attamen sunt alia verba numeralia dierum et annorum quae de persona praedicari debent. Themata horum verborum sunt particulae *mitit* pro diebus, loco *miyit*, et *maktit* pro annis loco *makwut*. Sic si vis dicere: trium dierum puer eram, quando baptizatus fui, dices: kalin ukalsanmititni kuaka, kuitkinil, *accurate eram trium dierum quod natus eram, qui factus fui.* Similiter: kalsanwunmaktitni kaka, k'kawangam J. Cli tagas k'katsi nas aklsmakniks, *erat triginta annorum natus qui immotus manserat J. Christus, demum discurrit inter homines.* Si noscere cupis aetatem alicuius, ita illum interrogabis: kin-sl-aksa-n- maktit?, *quot annorum es tu?*, et ipse respondebit e. g. usilkalsanwunmaktitni, *sum triginta annorum.* In primis duobus ex allatis exemplis possunt usurpari alia verba quorum thema est *miyit* vel *makwut*, verum usurpari

debent in tertia persona, ita: kalsanmiyitni kuaka, kuitkinil, *erant tres dies ex quo natus eram, cum baptizatus fui:* kalsanwunmakwutsi kaka, k'kawangam I. C., tagas k'katsi, *erant triginta anni qui natus erat, qui immotus manserat I. C. demum discurrit.* In hoc ultimo exemplo vocabulum *kalsanwunmakwutsi* est forma secundaria vocabuli *kalsanwunmakwutni*.

Lingua ksanka caret numeris ordinalibus. Ksanka enim quoties considerant aliquem determinatum terminum in aliqua serie illum non considerant absolute in seipso, ita ut illum dicant e. g. esse tertium vel quartum in illa serie, sed illum considerant una cum serie quae terminum praecedit, quaeque in illum desinit, ac proinde semper usurpant numeros cardinales. Verum si agatur de aliqua periodo recurrente in aliqua serie successiva, ut est e. g hebdomada septem dierum, tunc ad designandum aliquem ex terminis illius periodi e. g. diem tertium vel quartum hebdomadae, utuntur ksanka numero cardinali inserta particula *la* iterationis, quae periodum recurrentem significat. Sic dum latini dicunt *est tertius dies periodi*, ksanka dicunt: sillakalsanmiyitni, *nunc sunt iterum tres dies.* Hinc participia verborum numeralium interiecta particula *la* consueverunt ksanka usurpare ut nomina dierum in hebdomada.

klaukunmiyit	*dies*	*Lunae*
klaimiyit	"	*Martis*
klakalsanmiyit	"	*Mercurii*
klagatsanmiyit	"	*Iovis*
klayikwunmiyit	"	*Veneris*
klainmisanmiyit	"	*Saturni*
kukwitsinmiyit	"	*Dominica.*

Vocabulum *kukwitsinmiyit*, quod usurpatur ad significandam diem dominicam, est participium desumptum ex verbo quod significat numerationem dierum esse absolutam; diem enim dominicam ksanka habent ut diem in qua non incipit, sed terminatur hebdomada.

Quamvis in lingua ksanka desiderentur nomina ordinalia, sunt tamen quatuor vocabula quae significant *primus* et *ultimus;* usmik, upak, *primus*. unik, lnahak *ultimus*. Haec vocabula indiscriminatim

usurpari possunt ad designandum primum et ultimum terminum in in aliqua serie numerabili; vocabula tamen *usmik*, *unik* usurpantur praeterea ad significandum primum et ultimum in aliqua re quae gradus admittit, e. g. in dignitate, in bonitate, in malitia etc.

Praeter vocabula *primus* et *ultimus* est etiam vocabulum *medius*. Huiusmodi vocabulum est participium *k'kayakawu* verbi u kayakawu-ni, *sum in medio*. Exempla: na kintslanagamkil yakiltsgamalilki usmik inkil palki, lnahak inkil titkat, *qui egressuri estis ex templo primae estote mulieres, ultimi estote viri:* ukalsakalti, usmiknik ninni titkat, k'kayakawusalakli palki ninni, uniknik aki ninni palki, *habeo tres filios, primus est vir, qui medius adolevit mulier est, ultimus etiam est mulier*. Verbum kayakawusalaklini, *medius adolevit*, componitur ex verbo *kayakawuni* et verbo nitaklini, *crevit, adolevit*.

Nulla sunt vocabula quae fractiones unitatis significent, praeter verbum tsikwusakani, *est dimidia pars*. Ex hoc verbo mediante particula latsinal, *iterum progrediendo*, potest efformari verbum significans *est dimidium dimidii: e. g.* tsikwusakani, latsinaltsikwusakani, *dimidium est, plus est dimidium dimidii.*

CAPUT IV.

De Pronomine.

DE PRONOMINE POSSESSIVO

Pronomen personale repraesentat personam, pronomen possessivum refert rem ad personam. Inde in lingua ksanka licet quaedam vocabula et particulae primo et per se sint pronomina personalia et quaedam aliae sint pronomina possessiva, nihilominus eiusmodi vocabula et particulae promiscue usurpantur modo ut pronomina personalia, modo ut pronomina possessiva. Incipimus a pronomine possessivo, quia inde facilius intelligentur ea quae ad pronomen personale pertinent.

Particulae quaedam partim praefixae nomini, partim suffixae, pronomen possessivum repraesentant. En schema:

ka-,	*meus,*	ka-... -alla,	*noster,*
-nis,	*tuus,*	-nis-kil,	*vester,*
-is,	*eius.*	-is.	*eorum.*

Vides suffixum tertiae personae idem esse pro numero singulari et plurali. Exemplum ex nomine titunam, *pater filii*:

ka-titu,	*pater meus,*	ka-titu-nalla,	*pater noster,*
titu-nis,	*pater tuus,*	titu-nis-kil,	*pater vester,*
titu-is,	*pater eius.*	titu-is,	*pater eorum.*

Vides particulas *alla* et *kil* easdem esse quae in declinatione verbi usurpantur, eamdemque prorsus significationem habere. Litera *n* in *nalla* est phonica, attamen nullatenus est phonica in suffixo *nis* secundae personae, imo est characteristica secundae personae, quemadmodum in verbis; ea tamen differentia, ut in verbis litera *n* secundam personam repraesentans praefigatur, dum contra in nominibus suffigitur.

Exemplum pronominis possessivi compositi cum nominibus numeri pluralis.

Al-akaltam, *filii*,

al-ka-akalt,	*mei filii*,	al-ka-akalt-alla,	*nostri filii*,
al-akalt-nis,	*tui filii*,	al-akalt-nis-kil,	*vestri filii*,
al-akalt-is,	*eius filii*.	al-akalt-is,	*eorum filii*.

Vides in hoc schemate praefixum *ka* pronominis possessivi inseri post praefixum *al* pluralitatis.

Nasukwinintik, *duces*,

ka-nasukwinintik,	*mei duces*,	ka-nasukwininti-alla,	*nostri duces*,
nasukwininti-nis	*tui duces*.	nasukwininti-nis-kil,	*vestri duces*,
nasukwininti-is	*eius duces*.	nasukwininti-is,	*eorum duces*.

Vides in declinatione, secundum pronomen possessivum, nominis habentis formam reflexivam, amitti literam *k* ad suffixum reflexivitatis pertinentem, quoties eiusmodi suffixo aliud suffigitur: idem prorsus accidit in declinatione verborum.

Nomina dualia recipiunt pronomen possessivum eodem plane modo ac pluralia desinentia in *ik*.

Nomina continentia pronomen possessivum induunt formam secundariam mediantibus suffixis *-mil* et *-is*. Suffixum *-mil* usurpatur pro prima persona singulari, et pro secunda tum singulari tum plurali: suffixum vero *-is* usurpatur pro prima persona plurali et pro tertia persona. Exempla.

Nasukwin-s, *dux*,

ka-nasukwin-mil,	*meus dux*,	ka-nasukwin-alla-is,	*noster dux*,
nasukwin-nis-mil,	*tuus dux*.	nasukwin-is-mil-kil.	*vester dux*,
nasukwin-is-is,	*eius dux*,	nasukwin-is-is,	*eorum dux*,

Nasukwinintak-is, *duces.*

ka-nasukwininti-mil,	*mei duces,*	ka-nasukwininti-alla-is,	*nostri duces.*
nasukwininti-nis-mil,	*tui duces,*	nasukwininti-is-mil-kil,	*vestri duces,*
nasukwininti-is-is,	*eius duces.*	nasukwininti-is-is,	*eorum duces.*

Vides suffixa formae secundariae inseri post suffixa pronominis possessivi, excepto suffixo *kil* pluralitatis, quod semper in quovis casu est ultimum omnium. Hoc accidit etiam in verbis cuiuscumque classis, in quibus sine ulla exceptione suffixum *kil* vel est ultimum, vel immediate praecedit desinentiam verbalem *ni.*

Nomina quae desinunt in *am* non assumunt pronomen possessivum. Sunt enim veluti nomina impersonalia, quatenus ad nullam personam determinatam, sed solummodo ad hominem in genere referuntur.

Plurima nomina substantiva sunt participia verborum, spectata vero significatione differunt a participiis, et particulae quae in participiis significant pronomen personale, in nominibus participialibus significant pronomen possessivum. De istis nominibus alibi sermo erit. Interea dabimus schemata eorum quatenus pronomen possessivum continent. Ex verbis un-ik-ni, *edo;* un-ikil-ni, *edor* derivantur nomina quae sequuntur.

Kikil, *cibus,*

ku-ik,	*meus cibus,*	ku-ik-nalla,	*noster cibus,*
kin-ik,	*tuus cibus,*	kin-ik-kil,	*vester cibus,*
ki-ik,	*eius cibus,*	ki-ik,	*eorum cibus.*

Ex hoc exemplo facile [illegible]tur schema pronomen possessivum exhibens, quod nil aliud est nisi ipsum schema pronominis personalis prouti in participiis continetur.

ku-,	*meus,*	ku-. . . -alla,	*noster.*
kin-,	*tuus,*	kin-. . -kil,	*vester,*
k-,	*eius.*	k-,	*eorum.*

Quemadmodum characteristicae personarum regentium verbum aquirere possunt vim pronominis possessivi, ita ipsae characteristicae personarum patientium verbi transitivi interdum munere funguntur pronominis possessivi: esto exemplum.

Ex verbo utukutskakilni, *nuntio alicui,* derivantur verba utu-

kutskakiktsi, *nuntio alieni pro aliquo*, utukutskakiktsalkani, *nuntio alieni pro hominibus.* Hinc nomina participialia

ktukutskakiktsalka, *nuntius, legatus.*

ktukutskakikts-ap, *nuntius meus*,
ktukutskakikts-is, *nuntius tuus*,
ktukutskakikts-aps, *nuntius eius*,

ktukutskakikts-awas, *nuntius noster*,
ktukutskakikts-is-kil, *nuntius vester*,
ktukutskakikts-aps, *nuntius eorum*.

Hinc habes aliud schema pronominis possessivi, quod est ipsum schema exhibens personas patientes verbi transitivi.

-ap,	*meus*,	-awas,	*noster*,
-is,	*tuus*,	-is-kil,	*vester*,
-aps,	*eius*,	-aps,	*eorum*.

Sunt quaedam verba in lingua ksanka, quae licet sint intransitiva, sibi nihilominus assimilant characteristicas personarum patientium verbi transitivi, attamen istiusmodi characteristicae non repraesentant personas patientes, sed personas regentes verbum. Ista verba appellamus *inversa*. Eiusmodi est verbum suknikitnal-ap-ni, *afficior voluptate*. Ex hoc verbo prodeunt nomina participialia.

ksuknikitnalka *voluptas humana*.

ksuknikitnal-ap,	*mea voluptas*,	ksuknikitnal-awas,	*nostra voluptas*,
ksuknikitnal-is,	*tua voluptas*,	ksuknikitnal-is-kil,	*vestra voluptas*,
ksuknikitnal-aps,	*eius voluptas*,	ksuknikitnal-aps,	*eorum voluptas*.

Sunt in lingua ksanka quaedam nomina quorum radices assumunt characteristicas tum personarum agentium tum personarum patientium, et inde exurgit verbum possessivum, in quo characteristicae personarum agentium repraesentant pronomen possessvium. Eiusmodi verborum possessivorum exemplum habes in u-skalt-is-ni, *tu es filius meus*. Ex hoc verbo produnt nomina participialia

ku-skalt-is,	*tu filius meus*,	ku-skalt-awas	*tu filius noster*,
ku-skalt-is-kil,	*vos filii mei*,	ku-skalt-is-kil,	*vos filii nostri*,

kin-skalt-ap,	*ego filius tuus*,	kin-skalt-ap-kil.	*ego filius vester*,
kin-skalt awas.	*nos filii tui*,	kin-skalt-awas.	*nos filii vestri*,
k-skalt-ap	*ego filius eius*,	k-skalt-ap.	*ego filius eorum*.
k-skalt-awas,	*nos filii eius*,	k-skalt-awas.	*nos filii eorum*.
k-skalt-is.	*tu filius eius*,	k-skalt-is.	*tu filius eorum*,
k-skalt-is-kil.	*vos filii eius*,	k-skalt-is-kil.	*vos filii eorum*.

Sunt et alia nomina, quae appellamus (*y*), quae licet a verbo deriventur, non sunt tamen participia. Horum nominum quaedam habent characteristicas personarum patientium pro pronomine possessivo; praestat exemplum huiusmodi nominum exhibere tum in forma ordinaria tum in forma secundaria

Forma Ordinaria	*Forma Secundaria*	
Yakasinkin-mik-i,	Yakasinkin-ak-is-ki.	*Deus*.
Yakasinkin-ap-ki,	Yakasinkin-ap-is-ki.	*Deus meus*.
Yakasinkin-is-ki,	Yakasinkin-is-is-ki.	*Deus tuus*.
Yakasinkin-awas-ki,	Yakasinkin-awas-is-ki,	*Deus noster*.
Yakasinkin-is-kil-ki,	Yakasinkin-is-is-kil-ki.	*Deus vester*.
Yakasinkin-aps-ki,	Yakasinkin-aps-is-ki,	*Deus eius, eorum*.

De istis nominibus suo loco sermo erit. Plura quae tradita sunt, et quae infra tradentur nonnisi confuso quodam modo ab initio percipi possunt, quia supponunt alia quae nondum sunt tradita, quibus cognitis obscuritas omnis evanescet.

DE PRONOMINE PERSONALI.

In quavis figura verbali vel participiali includitur, ut vidimus, pronomen personale. Praeterea est pronomen personale quod non componitur cum verbo, sed seorsim stat. En schema

kamin,	*ego*,	kamin-alla,	*nos*,
ninku,	*tu*,	ninku-nis-kil,	*vos*,
ninku-is,	*ille*,	ninku-is	*illi*.

Etiam in pronomine personali, ut accidit in verbo et in pronomine possessivo, eadem forma repraesentat personam tertiam numeri tum singularis tum pluralis.

Consideranti exhibitum schema patebit thema pronominis

personalis olim fortasse fuisse *ninku*, quod declinari debuerit ad instar nominum suscipientium pronomen possessivum. Sane secundum hanc hypothesim haberemus pronomen personale declinatum hoc modo:

ka-ninku	ka-ninku-nalla
ninku-nis	ninku-nis-kil
ninku-is	ninku-is

Usu fortasse accidit ut forma *kaninku* amiserit ultimam syllabam et mutata fuerit in *kamin*, forma autem *ninkunis* amiserit suffixum *nis*, quod conservatur in forma plurali *ninku-nis-kil*, quodque ipsamet singularis numeri forma secundaria recuperat, ut infra apparebit.

Quemadmodum pronomen personale inclusum in nomine interdum habet vim pronominis possessivi, ita et pronomen personale, quod seorsim a nomine stat, eamdem vim aquirit; vel potius dicendum; idem vocabulum usurpari tum veluti pronomen personale tum veluti pronomen possessivum. Dicunt enim ksanka: nas lkamus ninsi ninkuis, *hic puer est eius;* inu ninni kamin na yisliitki amak, *aspice est mea haec amplitudo terrae.* In istis exemplis *ninkuis* significat *eius*, *kamin* significat *mea*.

Pronomen personale sub forma secundaria exhibitum habes in sequenti schemate.

kamin-mil,	*ego*,	kamin-alla-is,	*nos*,
ninku-nis-mil,	*tu*,	ninkunis-mil-kil,	*vos*,
ninku-is-is,	*ille*,	ninku-is-is,	*illi*,

quod facile intelligitur ex iis quae dicta sunt de forma secundaria pronominis possessivi.

DE PRONOMINE RELATIVO

Nullum est vocabulum in lingua ksanka quod per se sit pronomen relativum. Verum pronomen relativum invenitur veluti inclusum in omnibus participiis. Etenim omnia participia ksanka vertuntur in latinum per verbum, praeposito pronomine relativo. Sic ex verbo unikulni, *bibo* habes participium kuikul, *qui bibo, id quod bibo, hoc quod est me bibere:* ex verbo unitkinni, *facio*, prodit

participium kuitkin, *qui facio, id quod facio, hoc quod est me facere.*

In aliis casibus in quibus latini utuntur pronomine relativo, ksanka nullam senserunt necessitatem eiusmodi pronominis: proinde dum latini dicunt: e. g. *novi virum qui habebat tres filios*: ksanka simpliciter dicunt: *novi virum, tres erant eius filii*, unupgani titkat, kalsani alakaltis. Similiter latinam locutionem e. g. *dixi duci qui dixit mihi*, vertes: ukwakilni nasukwin; kaklapni, *dixi duci: ille dixit mihi.*

Ipsa particula *quod* latina, si qua est, quae respondeat anglico *that* censenda est inclusa in participio ksanka. Sane locutio e. g. *yunakani ke sganatkagamik* non potest alio modo verti literaliter nisi ita; *pluries est quod confessus sum.*

Relativum pronomen censendum est inclusum etiam in particula *isnil*, de qua supra locuti sumus. Verbum enim e. g. *unisnilitkinni* verti debet, ut diximus, *ego sum ille qui feci.*

DE PRONOMINE DEMONSTRATIVO.

Pronomen demonstrativum non componitur cum nomine, sed seorsim stat. Tres sunt particulae quae habent vim pronominis demonstrativi,

na, *hic;* ni, *ille;* ko, *ille.*

Forma secundaria harum particularum est *nas*, *nis*, *kos*. Istae particulae habent etiam valorem adverbii tum loci tum temporis:

na, *hic*, *huc*, *hinc*, *nunc*, *etc;* ni, ko, *illic*, *illuc*, *illinc*, *inde*, *tunc*, etc.

Quoties indicas aliquam rem ut praesentem sive loco sive tempore, uteris pronomine vel adverbio *na*. Quoties rem indicas vel longe positam, vel ex longo tempore transactam, uteris pronomine vel adverbio *ko*. Quando res non concipitur ut praesens, sed neque concipitur ut longinqua sive spatio sive tempore, illam indicando uteris pronomine *ni*. Quod autem res aliqua concipiatur ut praesens vel ut proxima vel ut remota, illud maxime pendet a circumstantiis et ab aestimatione loquentium. Hinc fit ut usus particulae *ni* et *ko* sit promiscuus; excepto casu de re valde remota sive loco sive tempore, in quo usurpatur particula *ko*.

Inter particulas demonstrativas recensendae sunt etiam par-

ticulae *is*, *ists*. Istae particulae ut plurimum seorsim stant, interdum componuntur cum verbo. In quovis casu istiusmodi particulae addunt vim designativam verbo vel participio quocum coniunguntur. Particulae *is*, *ists* differunt a pronominibus demonstrativis. Pronomina demonstrativa locum tenent nominum, et si adverbialiter usurpentur, repraesentant vel certum determinatum locum vel certum determinatum tempus. Contra particulae *is*, *ists* non aliquam rem nomine significatam, neque locum, neque tempus aliquod designatum repraesentant; sed adiacent verbo cuiusvis significationis, adduntque significationi verbali energiam quandam designativam. Sic si aliquid indices, illud ostendendo, dices nas ninni, *ecce*, nas kakani *en quomodo res se habet*. Si vero de aliqua re loquens vis dicere *ita res est*, vel *ita et non aliter res se habet*, dices: ists ninni, *ita et non aliter res est;* ists kakani, *hoc modo et non alio res se habet*: italice diceres: *è proprio così, è precisamente in questa maniera*. Animadvertas tamen, quod licet sit verum discrimen inter pronomen demonstrativum et particulas *is*, *ists* nihilominus, in praxi, saepe alterutrum ad libitum usurpari potest, quia sermo utrumque fert.

Quaeres, quid differat particula *is* a particula *ists*. Respondeo, communiter usurpari particulam *ists*, prae particula *is*. Videtur particula *is* usurpari, quando verbum refertur ad aliquam rem quae *manibus tenetur*, ac proinde accedere magis ad significationem latini *ecce*. Audivi indos usurpantes particulam *ists* tum de re praesenti, tum de re absenti; unde non videtur discrimen inter *is* et *ists* in eo esse, ut *is* rem sub oculis positam, et *ists* rem absentem adsignificet.

Particula *isnil* inter demonstrativas vel designativas numeranda est. Particula *isnil* procedit ex verbo unisni, *ego sum ille ad quem pertinet aliquid:* unde locutiones kalla kisin? *ad quemnam res pertinet?* nasukwin nisni, *dux est ille ad quem res pertinet*; nasukwin ninni yakasinki, *dux est dominus rei*. Recole ea quae diximus de particula *isnil*, dum agebamus de comparativis et superlativis.

Saepe particulis *na*, *ni*, *ko* adiungitur particula *taga* vel *tagas:* verum in particula *ni* fit literarum transpositio: *na taga*, *in taga*, *ko taga:* vel sub forma secundaria *nas tagas*, *is tagas*, *kos tagas*. Vides non esse confundendam particulam *is* quae praecedit *tagas*, cum particula *is* quae verbis praeponitur. Particula *taga* nil proprie

addit significationi particularum *na, ni, ko*, eius officium est veluti sustentare has particulas, quando non innituntur vel nomini vel verbo, et praecipue quando adverbialiter usurpantur. Sic si dicis e. g. *operatus sum usque nunc*, illud *nunc* quod posset simpliciter verti per *na*, melius vertitur per *na taga*: pariter si incipis sermonem adverbio *nunc*, ut cum dicis *ex nunc, vel hinc;* melius loqueris, si dicas *nas tagas*, quam si dicas *nas*. Verum optime dicis e. g. uninni na. *sum hic*, loco dicendi *uninni na taga*, qui modus loquendi non solet usurpari. Impossibile est tradere regulas definitas circa usum particulae *taga*, quam indi semper in ore habent; usu et consuetudine tantum aquires habitum recte utendi eiusmodi particula.

Quod attinet ad particulam *in taga* vel *is tagas*, dicendum est illam prae aliis aequivalere latino *ita:* sed non quatenus *ita* significat modum rei, sed quatenus ipsam rem designat. Hinc particula *in taga* aequivalet etiam particulae affirmanti *he, utique*. Sic e. g. in taga ukanlwitik, *ita cogito (così la penso)*: in tag ukakilni, *ita ipsi dixi*. Ad designandum modum rei ksanka utuntur potius verbo kakani, *hoc modo res se habet*.

Particula *in taga* usurpatur etiam ad significandum *ideo, ergo*. Sic cum dicis e. g. *cum sis valde bonus, ideo, ergo rogo te* etc; bene vertis illud *ideo* per *in taga*, ut cum italice dicimus: *siccome tu sei buono, così io ti prego* etc; in qua locutione adverbio *così* adamussim respondet particula *in taga*. Verum ne putes particulas illativas *ideo*, vel *ergo* semper verti posse per particulam *in taga*.

Particulae demonstrativae *na, ni, ko*, et praesertim particula *nis*, praepositae participiis verborum saepe tempus designant; ita ut locutio composita ex participio et particula demonstrativa, aequivaleat locutioni latinae compositae ex verbo et adverbiis *quando, dum, tum cum* et similibus: e. g. nis kuupga, *quando vidi;* ko ma kutsinam, *quando ivi;* etc.

DE PRONOMINE INDEFINITO

Nullum est in lingua ksanka pronomen quod usurpetur ad instar articuli indefiniti, quemadmodum e. g. usurpatur pronomen *quidam*, dum dico: *quidam vir, quaedam mulier* et similia. In istis casibus ksanka communiter utuntur nomine substantivo sine ad-

dito, id est loco dicendi e. g. *quidam vir*, simpliciter dicunt: *vir*, ut e. g. *vir erat in terra Hus*. Verum puto iam licere uti nomine numerali *ukwi*, vel participio *kukwi*, vel verbo *nukwini* in significatione articuli indefiniti: quamvis, nisi me fallat opinio, nomen *ukwi* caeteris praeferendum sit. Proinde locutionem e. g. *quidam vir* verterem: *ukwi titkat*.

Pronomen indefinitum *aliquis* quod personam repraesentat est *kalla:* e. g. kalla ya k'kalwi ltsganatkagamik, kanmiyit tsgaltsganatkagamik, *aliquis quisquis qui vult confiteri, cras confitebitur*. Pronomen kalla associatur etiam cum secunda persona ac significat *tu aliquis:* e. g. kalla, ni kinukluk, nlaisaknu, sukni, *tu aliquis, qui fessus es, si sederis, bonum est*.

Pronomen *kalla* praesertim usurpatur in interrogatione, et significat *quisnam:* kalla kinin? *quisnam es tu?* kalla kiin? *quis nam est ille?* kalla nis kinupga, *quisnam est quem vidisti?* kalla kintsgaltsganatkagamik? *quis tu qui vis confiteri?*

Quod praestat *kalla* pro personis praestat *kapsin* pro rebus. *Kapsin* significat *res, aliqua res, aliquid*. Usurpatur tum interrogando, tum citra interrogationem: e. g. unupga kapsin, *si aliquid videro:* kapsin kinupga? *quidnam vidisti?* kapsin kinitkin? *quidnam fecisti?* unitkinni kapsin, *feci aliquid*. Sub interrogatione *kapsin* significat etiam *cur:* kapsin kinkanlalit tilnamunis? *cur percussisti tuam uxorem?*

Pronomina negativa *non aliquis, non aliquid*, seu *nemo, nihil*, communiter fiunt praeponendo vocabulis *kalla, kapsin* verbum *luni;* luni kalla, *nemo est;* luni kapsin, *nihil est:* kalla kula? *quisnam est qui operatus est?* luni kalla lula, *nemo est qui operatus sit:* kos tagas yunakani kuiknalla, pal na luni kapsin, *illic multus erat noster cibus, verum hic nihil est*.

Interdum loco verbi *luni* usurpatur particula negativa *mats*, praesertim si negatio prohibitionem involvat: mats kalla, *nemo (sit)*. Verum praeferenda est negatio per verbum *luni*.

Pronomen *aliquis aliquod* veluti inclusum reperitur in verbo *nakani*. Hoc verbum in tertia persona habet significationem partitivam id est ad literam posset verbi italici: *vi è del, della, di* etc. Exempla:

kaka nasukwin nas? *est ne hic aliquis dux?* he: nakani, *aliquis est aliquis;*

kaka titkat kos, *est ne aliquis vir illic?* luni kalla kos, *nemo est illic:*

kakwum? *sunt ne aliqui indi (alicubi);* nakwumni, *sunt aliqui indi:*

kaka yaket? *est ne aliquid tebaci?* luni, *non est aliquid;*

nakni, *est aliqua aqua;* sakuknukni, *est aliquis lacus;* santlanamni, *est aliqua domus;* sanklunamni, *sunt aliquae domus.* Haec postrema verba perinde sunt ac verbum *nakani* compositum cum nominibus *aqua, domus* etc. Demum si dicam *nakani Yakasinkinmiki,* vertam optime italice: *vi ha un Dio.*

Est verbum qualificativum *nuk'kanini,* quod significat: *sunt aliqui pauci,* vel *est aliquando raro, est aliquoties raro* in quo verbo ut patet includitur pronomen *aliquis, aliquod:* e. g. Suiapi nuk'kanini ktslakil aklsmaknik, ni kyunaka katslakilni, *americani sunt aliqui pauci, qui amant indos, multi (i molti, i più) non amant illos:* ubi verbum *utslakilni* significat: *amo, diligo.*

Est et alius modus significandi adverbium *aliquando,* et consistit in eo quod verbo praeponuntur particulae *at, tsin,* quarum vis alibi explicabitur: e. g. *at tsin utsgamalni, aliquando oro.*

Vidimus vocabulum *nihil* contineri in verbo luni kapsin, *nihil est.* Sed est et alia particula quae in compositione cum verbo significat *nihil,* eaque est *kapskil.* Quod si particulam *kapskil* inseras in verbo negativo, quod videlicet contineat particulam negationis ka, *non;* inde duplex habebitur negatio: kapskil ka, *nihil non,* sive *nonnihil,* seu, quod idem est: *aliquid:* en alius modus loquendi, implicite continens pronomen *aliquid.* Exemplum: ultsgamalnalla: tsgalkapskilkakonnakalukuniaganawasni Yakasinkinawaski, *oremus; circa aliquid miserebitur nostri noster Deus.*

Particulae *kapskil* simillima est particula cumverbialis *litkalil,* cuius pars praecipua est syllaba *lit,* quae nil aliud est nisi ipsum verbum *luni* in compositione. Si istiusmodi particulam componas cum verbo negativo, e. g. u-ka-tsgamalni, *non oro,* prodibit verbum: at ulitkalilkatsgamalni, *non omnino non oro, id est interdum oro.*

Pronomina *aliquot, aliquantus,* seu *aliqua pars* repraesentantur

particulis *ksal*, *kasl*, quae cum verbis componuntur: e. g. ex verbis un-alkananukni, *traiicio flumen*, un-itkinni, *facio* compositis respective cum particulis *ksal et kas*, resultant verba ksal-alkananukni, *aliquot traiecerunt flumen*, u-kasl-itkinni, *feci aliquantum operis*, vel *aliquid operis*. Particulae de quibus loquimur sunt ipsa themata verbalia verborum ksani, *tot sunt;* kasni, *tantum est*. De verbis istis, quae quantitativa appellantur, suo loco sermo erit. Interea scias ex verbo *ksani* praeter particulam *ksal*, de qua locuti sumus, prodire etiam pronomen naksa, *aliquot:* e. g. naksa sukni, naksa kasukni, *aliquot*, vel, *pars sunt boni*, *pars sunt mali*.

Si cum verbo *ksani*, componantur themata verborum [illegible]lium, prodibunt verba quae significant: *est aliquis ex numero*, vel *sunt aliqui ex numero*, e. g. Tsutas yitwumlaasksani alswuisis Jesu Cli, *Judas erat unus ex duodecim amicis Jesu Christi*. Vides verbum *yitwumlaasksani* componi ex yitwumlaas, *duodecim*, et ex verbo *ksani*. Similiter poteris formare alia verba numeralia partitiva.

Pronomen *reliqui*, *caeteri* prodit ex verbo *ksani* et particula *ya* de qua infra loquemur: eiusmodi pronomen est *ya niksa:* e. g. ksalalkananukni aklsmaknik, ya niksa lalukalkatsi, *pars indorum traiecerunt flumen*, *reliqui*, seu *altera pars reversi sunt:* ubi habes unalkananukni, *traiicio flumen*, compositum cum particula *ksal*, de qua supra mentio facta est, et ya niksa, *aliquot*, *pars*.

Pronomen *reliqui* prodit etiam ex verbo *kaptik*, *kaptatik*, quod significat: *superest*, *restat*, *reliquum est*. Ex hoc verbo composito cum verbo *ksani* derivatur nomen *yisakaptiki*, quod significat reliquum alicuius *multitudinis; id quod ex totalitate aliqua discreta superest*. Nomen *yisakaptiki* continet in se pronomen *eius*, et ad literam significat: *totalitas reliqua eius* (subintellige *multitudinis*, de qua sermo est). Exemplum: ni kalkanam aklsmaknik nitkinni akmukuis, na yisakaptiki lusi amakis, *illi qui traiecerunt indi fecerunt* (*sibi comparaverunt*) *suos agros*, *totalitas haec reliqua eorum nulla est ipsis terra*. Verbum *kaptik* non solum usurpatur quoties sermo est de quantitate discreta, sed etiam quando sermo est de quantitate continua: e. g. kakas kaptik akulak? tsakapkunani: *quantanam restat caro? parum superest:* ubi verbum *tsakapkunani*, est verbum compositum ex verbo tsa-kunani, *parum est* et radice *kap*

verbi *kap-tik*, vocabulum autem *kakas* sub interrogatione significat *quantumnam?* Placet hic animadvertere, penes ksanka *aquam* concipi non ut quantitatem continuam, sed ut discretam; proinde, dum sermo est de *aqua*, usurpari verbum *ksani* loco verbi *kasni*. Satis sint ea quae dicta sunt de pronomine *aliquis*, et eius affinibus pronominibus.

Pronomen *alius* potest reddi per *laklak*. Vocabulum *laklak* est nomen adiectivum vel adverbium, quod significat *diversus, alius, diversmode; aliter* unde verbum qualificativum naklanakan', *est diversus: aliter est*. Exempla: nasukwin kisnilupga la laklak? kainni laklak, nasukwin unisnilupgani, *dux ne est ille quem vidisti, an alius? non est alius, dux est ille quem vidi*. Radix nominis *laklak* in compositione subit multiplices transformationes. Etenim generatim particula cumverbialis quae prodit ex *laklak* est *lukal;* quae tamen modo mutatur in *kluak*, modo in *kulka*, et involvit notionem diversitatis circa aliquam rem, quae notio saepe per pronomen *alius* efferri potest. Exempla: nilnak'klalaliitni *est sinus, recessus terrae, ad instar anguli;* lukalilnak'klalaliitni, *alius recessus terrae*, qui primo aliquo modo opponitur: nitstaal akiklunamis nipskatsi kos kluaklunamis, *iuvenis ex pago discurrit in alium pagum:* ulukalgamni *converto me*, (vertendo faciem meam): ukulkagamni, *converto me* (vertendo terga): uk'katsi, *gradior;* ula-lukalkatsi, *regredior:* ulukwakinni, *verto rem* (de uno latere in aliud).

Praeter vocabulum *laklak*, habetur ipsum verbum nukwini, *unus est;* cuius verbi acceptio sub significatione pronominis *alius* est omnino legitima. Exempla: aki na nukwini utsgaltsgani, *etiam de hoc alio loquar;* aki na kukwi aki utsganatisni, *etiam hoc aliud etiam docebo te;* kalla kiin nasukwin, na ukwi, la na ukwi? *Quisnam est dux, hic unus vel hic alius?* ko titkat kisnilin nasukwin? waha; nukwini, *ille vir est ne ille qui est dux? minime: est alius.*

Gradum faciamus ad alia pronomina consideranda: en prospectus.

kapi, *omnis* (distributive et collective)
nukwil-, *omnis* (in compositione)
gats-, gatsnil-, *ambo, uterque* (in compositione)
kis- " " " "

yisaki, *totalitas, totum* (de quantitate discreta)
yiski, *totalitas, totum* (de quantitate continua)
kap-, kapil-, *totum* (in compositione)
kiksa, *tot*
kikas, *tantum*
kaksa, *quotnam* (sub interrogatione)
kakas, *quantumnam* (sub interrogatione)
yisaki.... ksani...., *quot.... tot sunt....*
yiski ... kasni...., *quantum....tantum est....*
ya, *quilibet*
kaa, kaas, *quicumque, ubicumque, quandocumque* (cum futuro subiunct.)
" " *aliquis, alicubi, aliquando* (cum conditionali)
" " *quinam, ubinam, quandonam* (sub interrogatione)

Exempla kapi aklsmaknik, *omnes homines:* nukwilipni, *omnes perierunt:* gatsnilsukni, *uterque bonus est:* sakiskani, *ambo concumbunt:* yisaki palki, *totalitas mulierum:* yiski kakilwi, *totalitate cordis mei:* ukapilitkinni: *totum feci; perfeci:* kiksa? *totne sunt?* kikas? *tantumne est?* kaksa? *quotnam?* kakas? *quantumnam?* yisaki palki, ksani titkat, *quot mulieres tot sunt viri:* yiski akulaknis, kasni kaakulak, *quanta est tua caro, tanta est mea:* ya kutski, *quilibet qui mendax est:* kaa unakalwi, *quaecumque fuerit mea voluntas, si aliqua sit mea voluntas:* kaas kiin? *quodnam est? ubinam est?* kaas kakanmiyits kiip? *quanam hora mortuus est?*

Vides particulam *kaa* recensendam esse cum particulis *kalla* et *kapsin*, sub interrogatione: etenim *kalla?* quaerit, ut designetur aliqua ex pluribus personis; *kaa?* vel *kaas?* quaerit, ut designetur aliqua ex pluribus rebus, locis, temporibus; *kapsin?* inquirit de natura alicuius rei, sive sit res sive sit persona.

Particula *ya* bene vertitur per articulum definitum. Verum non potest dici particulam hanc esse ipsum articulum definitum Etenim particula *ya* nunquam applicatur individuis, determinatis, sed solummodo alicui individuo sub conceptu aliquo generico repraesentato; ut cum italice dico: *il ladro, l'omicida* ya kainawi, ya kipilka, et similia. Quoties sermo est de aliquo individuo determinato, vel de aliqua determinata multitudine individuorum, quae ad

instar unius concipitur; usurpatur particula *na*, quae et ipsa bene redditur per articulum definitum; ut cum italice dico *gli uomini, il Padre, il Figlio, lo Spirito Santo* na aklsmaknik; na Titunam, na Galinam, na San Kilkilwi. Quoniam autem nemo dicet pronomen demonstrativum *na* esse ipsum articulum definitum, quia interdum per articulum definitum reddi potest; ita nequit dici pronomen *ya* esse articulum definitum, quia ut plurimum verti potest per huiusmodi articulum. Verum in compositione particula *ya* probabiliter ut articulus definitus haberi potest: sed de hoc alibi.

CAPUT V.

De Declinatione Verbi.

Incipimus tractationem de verbo ab exhibendo paradigmate declinationis. Verba intransitiva, exceptis iis quae desinunt in *ni* vel in *ik*, non habent propriam declinationem diversam a declinatione verborum transitivorum. Praestat nihilominus exhibere declinationem verbi alicuius e. g. *dormio*, ad instar exempli declinationis cuiuslibet verbi intransitivi desinentis in *ni* et cuiuslibet verbi transitivi incompleti.

Deinde exhibebitur in verbo *facio* paradigma declinationis completum verborum transitivorum. Quoniam autem in quibusdam verbis derivatis aliqualiter variat declinatio, ideoque exhibebitur etiam paradigma declinationis horum verborum in ipsis verbis derivatis a verbo *facio*. Inutile omnino esset integram declinationem verbi transitivi repraesentare. Dabitur solummodo declinatio praeteriti perfecti modi indicativi, et declinatio modi imperativi. Etenim adhibitis characteristicis temporum et modorum, iuxta ea quae tradita sunt in introductione operis, facile omnino erit transitum facere a quavis figura praeteriti perfecti modi indicativi, ad respondentem figuram cuiusvis alterius temporis ac modi.

Postea dabitur paradigma declinationis verbi desinentis in *ik*, et verbi desinentis in *ge*, quae verba sunt intransitiva.

Demum exemplum praebebitur declinationis verborum intransitivorum, quae appellavimus inversa: in quibus videlicet characteristicae personarum regentium verbum, sunt eaedem ac characteristicae personarum patientium verbi transitivi. Concludetur paradigma declinationis exhibendo schema declinationis verbi *uuupsti* quod est verbum possessivum omnium possessivorum verborum primitivum.

In declinando verbum semper illi associabitur participium.

"Ukomnini, Dormio.

MODUS INDICATIVI PRAETERITUM PERFECTUM

	Forma Ordinaria	*Forma Secundaria*
ego dormivi	u--komni-ni	u-komni-mil-ni
qui dormivi	ku-komni	ku-komni-mil
tu dormivisti	n-komni-ni	n-komni-mil-ni
qui "	kin "	kin " "
ille dormivit	komni-ni	komni s-i
qui "	k' "	k' " "
nos dormivimus	u-komni-nalla-ni	u-komni-nalla-is-ni
qui "	ku " "	ku " " "
vos dormivistis	n-komni-kil-ni	n-komni-mil-kil-ni
qui "	kin " "	kin " " "
illi dormiverunt	komni-ni	komni-s-i
qui "	k' "	k' " "

PRAESENS IND.

ego dormio	u-sil-komni-ni	u-sil-komni-mil-ni
qui "	ku " "	ku " " "
tu dormis	n--sil-komni-ni	n--sil-komni-mil-ni
qui "	kin " "	kin " " "
ille dormit	sil-komni-ni	sil-komni-s-i
qui "	k " "	k " " "

nos dormimus	u-sil-komni-nalla-ni	u-sil-komni-nalla-is-ni
qui "	ku " " "	ku " " " "
vos dormitis	n--sil-komni-kil-ni	n--sil-komni-mil-kil-ni
qui "	kin " " "	kin " " " "
illi dormiunt	sil-komni-ni	sil-komni-s-i
qui "	k " "	k " " "

FUTURUM PRIMUM IND.

ego dormiam	u-ts-komni-ni	u---ts-komni-mil-ni
qui "	ku " "	ku " " "
tu dormies	n--ts-komni-ni	n--ts-komni-mil-ni
qui "	kin " "	kin " " "
ille dormiet	ts-komni-ni	ts-komni-s-i
qui "	k " "	k " " "
nos dormiemus	u-ts-komni-nalla-ni	u-ts-komni-nalla-is-ni
qui "	ku " " "	ku " " " "
vos dormietis	n--ts-komni-kil-ni	n--ts-komni-mil-kil-ni
qui "	kin " " "	kin " " " "
illi dormient	ts-komni-ni	ts-komni-s-i
qui "	k " "	k " " "

Ukomnini, Dormio.

	FUTURUM SECUNDUM IND.	
ego dormiam	u-tsgal-komni-ni	u-tsgal-komni-mil-ni
qui "	ku " "	ku " " "
tu dormies	n-tsgal-komni-ni	n-tsgal-komni-mil-ni
qui "	kin " "	kin " " "
ille dormiet	tsgal-komni-ni	tsgal-komni-s-i
qui "	k " "	k " " "
nos dormiemus	u-tsgal-komni-nalla-ni	u-tsgal-komni-nalla-is-ni
qui "	ku " " "	ku " " " "
vos dormietis	n-tsgal-komni-kil-ni	n-tsgal-komni-mil-kil-ni
qui "	kin " " "	kin " " " "
illi dormient	tsgal-komni-ni	tsgal-komni-s-i
qui "	k " "	k " " "
	FUTURUM TERTIUM IND.	
ego sum dormiturus	u-tsil-komni-ni	u-tsil-komni-mil-ni
qui " "	ku " "	ku " " "
tu es dormiturus	n-tsil-komni-ni	n-tsil-komni-mil-ni
qui " "	kin " "	kin " " "
ille est dormiturus	tsil-komni-ni	tsil-komni-s-i
qui " "	k " "	k " " "

nos sumus dormituri	u-tsil-komni-nalla-ni	u-tsil-komni-nalla-is-ni
qui " "	ku " " "	ku " " " "
vos estis dormituri	n-tsil-komni-kil-ni	n-tsil-komni-mil-kil-ni
qui " "	kin " " "	kin " " " "
illi sunt dormituri	tsil-komni-ni	tsil-komni-s-i
qui " "	k " "	k " " "

vel

ego sum dormiturus	u-tsgal-sil-komni-ni	n-tsgal-sil-komni-nalla-is-ni
qui " "	ku " " "	ku " " " " "
tu es dormiturus	n-tsgal-sil-komni-ni	n-tsgal-sil-komni-mil-kil-ni
qui " "	kin " " "	kin " " " " "
ille est dormiturus	tsgal-sil-komni-ni	tsgal-sil-komni-s-i
qui " "	k " " "	k " " " "
nos sumus dormituri	u-tsgal-sil-komni-nalla-ni	u-tsgal-sil-komni-nalla-is-ni
qui " "	ku " " " "	ku " " " " "
vos estis dormituri	n-tsgal-sil-komni-kil-ni	n-tsgal-sil-komni-mil-kil-ni
qui " "	kin " " " "	kin " " " " "
illi sunt dormituri	tsgal-sil-komni-ni	tsgal-sil-komni-s-i
qui " "	k " " "	k " " " "

Ukomnini, Dormio.

MODUS INDICATIVUS CONDITIONATUS

dormirem(vel) dormivissem	gma ukomni	gma ukomnisi
qui dormires (vel) dormivisses	gma kukomni	gma kukomnis

etc. ex praeterito perfecto indicativi.

MODUS IMPERATIVUS

dormi	komni-n	komni-mil-in
dormite	komni-kil	komni-mil-kil

MODIS SUBIUNCTIVIS TEMPUS PRAESENS

ego dormiam	u--l-komni	u-l-komni-mil
qui "	ku-l "	ku-l " "
tu dormias	n--l-komni	n--l-komni-mil
qui "	kin-l "	kin " " "
ille dormiat	l-komni	l-komni-s
qui "	k-l "	k-l " "
nos dormiamus	u--l-komni-nalla	u--l-komni-nalla-is
qui "	ku " " "	ku " " " "
vos dormiatis	n--l-komni-kil	n--l-komni-mil-kil

qui dormiatis	kin-l-komni kil	kin-l-komni-mil
illi dormiant	l-komni	l-komni-s
qui "	k " "	k " " "

FUTURUM SUB.

ego sim dormiturus	u-l-ts-komni	u-l-ts-komni-mil
qui " "	ku-l " "	ku-l " " "
tu sis dormiturus	n-l-ts-komni	n-l-ts-komni-mil
qui " "	kin-l " "	kin-l-ts " "
ille sit dormiturus	l-ts-komni	l-ts-komni-s
qui " "	k " " "	k " " " "
nos simus dormituri	u--l-ts-komni-nalla	u-l-ts-komni-nalla-is
qui " "	ku " " " "	ku-l " " " "
vos sitis dormituri	n-l-ts-komni-kil	n-l-ts-komni-mil-kil
qui " "	kin-l-ts " "	kin-l-ts " " "
illi sint dormituri	l-ts-komni	l-ts-komni-s
qui " "	k " " "	k " " " "

vel

ego sim dormiturus	u-l-tsgal-komni	u-l-tsgal komni-mil
qui " "	ku-l " "	ku-l " " "

etc. ut in praecedenti forma, mutato ts *in* tsgal

Ukomnini Dormio.

MODUS CONDITIONALIS

Prima forma

si (vel) quando dormirero	u-komni	u-komni-mil
si " " dormireris	n-komni	n-komni-mil
si " " dormirerit	komni	komni-s
si " " dormireri-mus	u-komni-nalla	u-komni-nalla-is
si " " dormireri-tis	n-komni-kil	n-komni-mil-kil
si " " dormire-rint	komni	komni-s

Secunda forma

si (vel) quando fuero dor-miturus	u-ts-komni	u-ts-komni-mil
si (vel) quando fueris dor-miturus	n-ts-komni	n-ts-komni-mil
si (vel) quando fuerit dor-miturus	ts-komni	ts-komni-s
si (vel) quando fuerimus dormituri	u-ts-komni-nalla	u-ts-komni-nalla-is

si (vel) quando fueritis dormituri	n-ts-komni-kil	n-ts-komni-mil-kil
si (vel) quando fuerint dormituri	ts-komni	ts-komni-s
	vel	
si (vel) quando fuero dormiturus	u-tsgal-komni	u-tsgal-komni-mil

etc. ut in praecedenti forma mutato ts *in* tsgal

Unitkinni Facio.

MODI INDICATIVI PRAETERITUM PERFECTUM

	Forma Ordinaria	*Forma Secundaria*
ego feci te	un-itkin-is-ni	un-itkin-is-mil-ni
qui ·· ··	ku ·· ··	ku ·· ·· ··
ego feci vos	un-itkin-is-kil-ni	un-itkin-is-mil-kil-ni
qui ·· ··	ku ·· ·· ··	ku ·· ·· ·· ··
ego feci illum illos	un-itkin--ni	un-itkin-mil-ni
qui ·· ·· ··	ku ··	ku ·· ··
tu fecisti me	n'n-itkin-ap-ni	n'n-itkin-ap-mil-ni
qui ·· ··	kin ·· ··	kin ·· ·· ··
tu fecisti nos	n'n-itkin-awas-ni	n'n-itkin-awas-mil-ni
qui ·· ··	kin ·· ··	kin ·· ·· ··
tu fecisti illum, illos	n'n-itkin-ni	n'n-itkin-mil-ni
qui ·· ·· ··	kin ··	kin ·· ··
nos fecimus te, vos	*un-itkin-awas-ni*	*un-itkin-awas-mil-ni*
qui ·· ·· ··	ku ·· ··	ku ·· ·· ··
nos fecimus illum, illos	un-itkin-alla-ni	un-itkin-alla-is-ni
qui ·· ·· ··	ku ·· ··	ku ·· ·· ··

vos fecistis me, nos	n'n-tkin-ap-kil-ni	n'n-itkin-ap-mil-kil-ni
qui " " "	kin " " "	kin " " " "
vos fecistis illum, illos	n'n-itkin-kil-ni	n'n-itkin-mil-kil-ni
qui " " "	kin " "	kin " " "
ille (illi) fecit me	n-itkin-ap-ni	n-itkin-ap-is-ni
qui " "	k "	k " "
ille (illi) fecit nos	n-itkin-awas-ni	n-itkin-awas-is-ni
qui " "	k " "	k " " "
ille (illi) fecit te	n-itkin-is-ni	n-itkin-is-is-ni
qui " "	k " "	k " " "
ille (illi) fecit vos	n-itkin-is-kil-ni	n-itkin-is-is-kil-ni
qui " "	k " " "	k " " " "
ille (illi) fecit illum (illos)	n-itkin-ni	n itkin-s-i
qui " " *(illos)*	k " "	k " "
ille (illi) factus est ab illo, (illis)	n-itkin-aps-i	n-itkin-aps-is-ni
qui *factus* " " *illo, (illis)*	k " "	k " " "

Unitkinni Facio.

MODUS IMPERATIVUS

fac me	itkin-nu	itkin-ap-mil-in
fac nos	itkin-awas-nu	itkin-awas-mil-in
fac illum, illos	itkin-in	itkin-mil-in
facite me	itkin-ap-kil	itkin-ap-mil-kil
facite nos	itkin-awas-kil	itkin-awas-mil-kil
facite illum, illos	itkin-kil	itkin-mil-kil

Reliquas formas mutuaberis ex subiunctivo.

Unitkinilni, Factus sum ab aliquo indefinito.

MODI INDICATIVI PRAETERITUM PERFECTUM.

ego factus sum	un-itkin-il-ni	un-itkin-il-mil-il-ni
qui " "	ku " "	ku " " " "
tu factus es	n'n-itkin-il-ni	n'n-itkin-il-mil-il-ni
qui " "	kin " "	kin " " " "
ille (illi) factus est	n-itkin-il-ni	n-itkin-l-is-ni
qui " "	k " "	k " " "
nos facti sumus	un-itkin-alla-til-ni	un-itkin-alla-til-mil-il-ni
qui " "	ku " "	ku " " " "
vos facti estis	n'n-itkin-il-kil-ni	n'n-itkin-il-mil-il-kil-ni
qui " "	kin " " "	kin " " " " "

MODUS IMPERATIVUS

fias	itkin-il-in	itkin-il-mil-in
fiatis	itkin-il-kil	itkin-il-mil-kil

Unitkinmulni, Factus sum ex.

MODUS INDICATIVUS

ego factus sum ex	un-itkin-mul-ni	un-itkin-mul-mil-il-ni
qui " "	ku " "	ku " " " "
tu factus es ex	n'n-itkin-mul-ni	n'n-itkin-mul-mil-il-ni
qui " " "	kin " "	kin " " " "
ille factus est ex	n-itkin-mul-ni	n-itkin-mul-is-ni
qui " " "	k " "	k " " "
nos facti sumus ex	un-itkin-mu-nalla-til-ni	un-itkin-mu-nalla-til-mil-il-ni
qui " " "	ku " " " "	ku " " " " " "
vos facti estis ex	n'n-itkin-mul-kil-ni	n'n-itkin-mul-mil-il-kil-ni
qui " " "	k " " "	k " " " " "

MODUS IMPERATIVUS

fias ex	itkin-mul-in	itkin-mul-mil-in
fiatis ex	itkin-mul-kil	itkin-mul-mil-kil.

Unitkiniktsi, Facio alicui.

MODI INDICATIVI PRAETERITUM PERFECTUM.

ego feci tibi	un-itkin-ikts-is-ni	un-itkin-ikts-is-mil-ni
qui " "	ku " " "	ku " " " "
ego feci vobis	un-itkin-ikts is-kil-ni	un-itkin-ikts-is-mil-kil-ni
qui " "	ku " " "	ku " " " " "
ego feci illi	un-itkin-ikts-i	un-itkin-kits-mil-ni
qui " "	ku " kits	ku " " "
tu fecisti mihi	n'n-itkin-ikts-ap-ni	n'n-itkin-ikts-ap-mil-ni
qui " "	kin " " "	kin " " " "
tu fecisti nobis	n'n-itkin-ikts-awas-ni	n'n-itkin-ikts-awas-mil-ni
qui " "	kin " " "	kin " " " "
tu fecisti illi	n'n-itkin-ikts-i	n'n-itkin-kits-mil ni
qui " "	kin " kits	kin " " "
nos fecimus tibi	un-itkin-ikts-awas-ni	un-itkin ikts awas-mil-ni
qui " "	ku " " "	ku " " " "
nos fecimus illi	un-itkin-ikts-alla-ni	un-itkin ikts-alla-is-ni
qui " "	ku " " "	ku " " " "
vos fecistis mihi	n'n-itkin- ikts-ap-kil-ni	n'n-itkin-ikts-ap-mil-kil-ni
qui " "	kin " " " "	kin " " " " "

vos fecistis illi	n'n-itkin-kits-kil-ni	n'n-itkin-kits-mil-kil-ni
qui " "	kin " " "	kin " " " "
ille fecit mihi	n-itkin-ikts-ap-ni	n-itkin-ikts-ap-is-ni
qui " "	k " " "	k " " " "
ille fecit nobis	n-itkin-ikts-awas-ni	n-itkin-ikts-awas-is-ni
qui " "	k " " "	k " " " "
ille fecit tibi	n-itkin-ikts-is-ni	n-itkin-ikts-is-is-ni
qui " "	k " " "	k " " " "
ille fecit vobis	n-itkin-ikts-is-kil-ni	n-itkin-ikts-is-is-kil-ni
qui " "	k " " " "	k " " " " "
ille fecit illi	n-itkin-ikts-i	n-itkin-kits i
qui " "	k " kits	*k-itkin-kiits*
illi factum est ab illo	n-itkin-ikts-aps-i	n-itkin-ikts aps-is-ni
ille a quo factum est illi	k " " "	k " " " "
	MODUS IMPERATIVUS	
fac mihi	itkin-ikts-u	itkin-ikts-ap mil-in
fac nobis	itkin-ikts-awas-nu	itkin-ikts-awas-mil-in
fac illi	itkin-ikts-in	itkin-kits-mil-in
facite mihi	itkin-ikts-ap-kil	itkin-ikts-ap-mil-kil
facite nobis	itkin-ikts-awas-kil	itkin-ikts-awas-mil-kil
facite illi	itkin-kits-kil	itkin-kits-mil-kil

Unitkiniktsilni, Mihi factum est.

	MODI INDICATIVI PRAETERITUM PERFECTUM	
mihi factum est	un-itkin-ikts-il-ni	un-itkin-ikts-il-mil-il-ni
quod mihi factum est	ku " " "	ku " " " " "
tibi factum est	n'n-itkin-ikts-il-ni	n'n-itkin-ikts-il-mil-il-ni
quod tibi factum est	kin " " "	kin " " " " "
illi factum est	n-itkin-ikts-il-ni	n-itkin-kits-l-is-ni
quod illi factum est	k " " "	k " " " "
nobis factum est	un-itkin-ikts alla-til-ni	un-itkin-ikts-alla-til-mil-il-ni
quod nobis factum est	ku " " " "	ku " " " " " "
vobis factum est	n'n-itkin-ikts-il-kil-ni	n'n-itkin-ikts-il-mil-il-kil-ni
quod vobis factum est	kin " " " "	kin " " " " " "
	MODUS IMPERATIVUS	
fiat tibi	itkin-ikts-il-in	itkin-ikts-il-mil-in
fiat vobis	itkin-ikts-il-kil	itkin-ikts-il-mil-kil

Un-itkin-mik, Facio me.

MODI INDICATIVI RRAETERITUM PERFECTUM

ego feci me	un-itkin-mik	un-itkin-i-mil-ni
qui " "	ku " "	ku " " "
tu fecisti te	n'n-itkin-mik	n'n-itkin-i-mil-ni
qui " "	kin " "	kin " " "
ille fecit se	n-itkin-mik	n-itkin-ak-s-i
qui " "	k " "	k " " is
nos fecimus nos	un-itkin-i-alla-ni	un-itkin-i-alla-is-ni
qui " "	ku " " "	ku " " " "
vos fecistis vos	n'n-itkin-i-kil-ni	n'n-itkin-i-mil-kil-ni
qui " "	kin " " "	kin " " " "

MODUS IMPERATIVUS

fac teipsum	itkin-am	itkin-i-mil-in
facite vosmet ipsos	itkin-i-kil	itkin-i-mil-kil

Ukanage, Eo.

MODUS INDICATIVUS

ego ivi	u-kana-ge	u-kana-mil-ni
qui "	ku-kana-m	ku " "
tu ivisti	n-kana-ge	n-kana-mil-ni
qui "	kin-kana-m	kin " "
ille ivit	kana-ge	kana-s-i
qui "	k'-kana-m	k " "
nos ivimus	u-kana-g-alla-ni	u-kana-g-alla-is-ni
qui "	ku " " "	ku " " " "
vos ivistis	n-kana-kil-ni	n-kana-mil-kil-ni
qui "	kin " "	kin " " "

MODUS IMPERATIVUS

i	kana-n	kana-mil-in
ite	kana-kil	kana-mil-kil

Forma (y) verbi Ukanage.

mea semita	u-ya-kana-m-ki	u-ya-kana-mil-ki
tua semita	n-ya-kana-m-ki	n-ya kana-mil-ki
eius semita	ya-kana-m-ki	ya-kana-m-s-ki
nostra semita	u-ya-kana-g-alla-ki	u-ya-kana-g-alla-is-ki
vestra semita	n-ya-kana-kil-ki	n-ya-kana-mil-kil-ki
eorum semita	ya-kana-m-ki	ya-kana-m-s-ki

Stapni, Ego sum res eius.

MODI INDICATIVI PRAETERITUM PERFECTUM

ego sum res tua	n-st-ap-ni	n-st-ap-mil-ni
qui " " "	kin-up-st-ap	kin-up-st-ap-mil
ego sum res vestra	n-st-ap-kil-ni	n-st-ap-mil-kil-ni
qui " " "	kin-up-st-ap-kil	kin-up-st-ap-mil-kil
ego sum res eius	st-ap-ni	st-ap-is-ni
qui " " "	k-up-st-ap	k-up-st-ap-is
tu es res mea	u-st-is-ni	u-st-is-mil-ni
qui " " "	ku-up-st-is	ku-up-st-is-mil
tu (vos) es res nostra	u-st-awas-ni	u-st-awas-mil-ni
qui " " "	ku-up-st-awas	ku-up-st-awas-mil
tu es res eius	st-is-ni	st-is-is-ni
qui " " "	k-up-st-is	k-up-st-is-is
nos sumus res tua, vestra	n-st-awas-ni	n-st-awas-mil-ni
qui " " " "	kin-up-st-awas	kin-up-st-awas-mil
nos sumus res eius	st-awas-ni	st-awas-is-ni
qui " " "	k-up-st-awas	k-up-st-awas-is

vos estis res mea, nostra	u-st is-kil-ni	u-st-is-mil-kil-ni
qui " " " "	ku-up-st-is-kil	ku-up-st-is-mil-kil
vos estis res eius	st-is-kil-ni	st-is-is-kil-ni
qui " " "	k-up-st-is-kil	k-up-st-is-is-kil
ille est res mea	un-up-st-i	un-up-sit-mil-ni
qui " " "	ku-up-sit	ku-up-sit-mil
ille est res nostra	u-st-alla-ni	u-st-alla-is-ni
qui " " "	ku-up-st-alla	ku-up-st-alla-is
ille est res tua	n'n-up-st-i	n'n-up-sit-mil-ni
qui " " "	kin-up-sit	kin-up-sit-mil
ille est res vestra	n'n-up-sit-kil-ni	n'n-up-sit-mil-kil-ni
qui " " "	kin-up-sit-kil	kin-up-sit-mil-kil
ille est res eius	st-aps-i	st-aps-is-ni
qui " " "	k-up-st-aps	k-up-st-aps-is
ille est cuius est res	n-up-st-i	n-up-sit-s-i
ille cuius est res	k-up-sit	k-up-sit-s

Stapni, Ego sum res eius

MODUS IMPERATIVUS

esto res mea	u-l-up-st-is	u-l-up-st-is-mil
esto res nostra	u-l-up-st-awas	u-l-up-st-awas-mil
esto res eius	l-up-st-is	l-up-st-is-is
estote res mea	u-l-up-st-is-kil	u-l-up-st-is-mil-kil
estote res nostra	" "	"
estote res eius	l-up-st-is-kil	l-up-st-is-is-kil
sim res tua	up-st-u	st-ap-mil-in
"	n-l-up-st-ap	n-l-up-st-ap-mil
simus res tua	st-awas-nu	st-awas-mil-in
"	n-l-up-st-awas	n-l-up-st-awas-mil
sit res tua	up-st-in	up-sit-mil-in
"	n-l-up-sit	n-l-up-sit-mil
sim res vestra	st-ap-kil	st-ap-mil-kil
"	n-l-up-st-ap-kil	n-l-up-st-ap-mil-kil
simus res vestra	st-awas-kil	st-awas-mil-kil
"	n-l-up-st-awas	n-l-up-st-awas-mil
sit res vestra	up-sit-kil	up-sit-mil-kil
"	n-l-up-sit-kil	n-l-up-sit-mil-kil

Suknikitnalapni, Afficior voluptate.

MODI INDICATIVI PRAETERITUM PERFECTUM

affectus sum voluptate	suknikitnal-ap-ni	suknikitnal-ap-is-ni
affectus es voluptate	suknikitnal-is-ni	suknikitnal-is-is-ni
affectus est voluptate	suknikitnal-aps-i	suknikitnal-aps-is-ni
affecti sumus voluptate	suknikitnal-awas-ni	suknikitnal-awas-is-ni
affecti estis voluptate	suknikitnal-is-kil-ni	suknikitnal-is-is-kil-ni
affecti sunt voluptate	suknikitnal-aps-i	suknikitnal-aps-is-ni

MODUS IMPERATIVUS

afficitor voluptate	l-suknikitnal-is	l-suknikitnal-is-is
afficimini voluptate	l suknikitnal-is-kil	l-suknikitnal-is-is-kil-

NOTA.—*Pag 49; ego sum dormiturus*, ntsgalsilkomninallaisni, *corrige* utsgalsilkomnimilni: *tu es dormiturus*, ntsgalsilkomnimilkilni, *corrige* utsgalsilkomnimilni. *Pag. 50; dormirem*, gma ukomni, etc. *corrige* gma ukomnini, gma ukomnimilni, gma kukomni, gma kukomnimil: *qui dormiatis*, kinlkomnimil, *corrige* kinlkomnimilkil.

DE FORMA IRREGULARI IN DECLINATIONE VERBI.

Exhibito schemate declinationis verborum, circa illud animadversiones aliquae faciendae sunt. Seponimus in praesenti formam secundariam.

Quod attinet ad verbum *komnini*, nullo negotio intelligitur declinari iuxta regulas traditas in *introductione:* solummodo videre est in schemate adiectos quosdam modos et tempora, de quibus suo loco sermo erit.

Quod attinet ad verbum transitivum, duo notanda sunt: primum circa suffixum *kil*, alterum circa formas irregulares. Suffixum *kil* est simplex nota pluralitatis personae secundae tum agentis tum patientis: ergo quoties in aliqua forma verbali invenitur suffixum *kil*, attendendum est utrum una cum suffixo *kil*, sit praefixum *n* secundae personae agentis, an suffixum *is* secundae personae patientis. Si primum, intelliges formam pertinere ad secundam personam agentem pluralis numeri, si secundum, cognosces formam repraesentare secundam personam patientem in numero plurali: e. g. n-tsikat-kil-ni, *vidistis illum;* tsikat-is-kil-ni, *vidit vos.* Etiam in modo imperativo suffixum *kil* est potius characteristica pluralitatis, quam personae; quia formae imperativae natura sua referuntur omnes ad secundam personam, ac proinde suffixa quae in singulis formis reperiuntur numerum tantum personarum significant. Loquimur, ut patet, de personis agentibus, personae enim patientes habent propriam characteristicam etiam in modo imperativo, ut infra explicabitur.

Transeamus ad formas irregulares in verbo transitivo. Una tantum est forma irregularis, quae in verbo *unitkinni* est.

un-itkin-awas-ni, *nos fecimus te, vos.*

Haec forma est irregularis. Sane characteristica primae personae pluralis regentis verbum repraesentatur per praefixum

un, et suffixum *alla;* praeterea secunda persona patiens numeri singularis repraesentatur per suffixum *is;* ergo forma verbalis quae significaret *nos fecimus te*, iuxta regulam generalem, deberet esse.

un-itkin-alla-is-ni:

verum haec forma, ut videre est in paradigmate, est forma secundaria formae *unitkinallani*, et significat *nos fecimus illum*. Proinde ad evitandam aequivocationem, oportuit cudere aliam formam, quae significaret *nos fecimus te*, et eiusmodi formam ksanka voluerunt esse *unitkinawasni;* in qua particulae *un* et *awas* nullatenus intelligendae sunt habere significationem quam habent in aliis formis. Si enim ita intelligerentur, *unitkinawasni* significaret *ego feci nos*, quod esset satis absurdum.

Forma *unitkinawasni* usurpatur pro secunda persona patiente tum singularis tum pluralis numeri.

Etiam forma regularis *u'n-itkin-ap-kil-ni* usurpatur pro persona singularis et pluralis numeri. Hoc autem non ex necessitate factum est sed ex usu. Etenim pro secunda persona patiente plurali haberetur forma *u'n-itkin-awas-kil-ni*, quae aptissime significaret *vos fecistis nos;* at eiusmodi formam quamvis approbent ksanka, et ut legitimam recognoscant, ea tamen non utuntur.

In tota declinatione verborum desinentium in *i* nullae aliae, praeter memoratas, habentur irregularitates. Vides igitur declinationem verbi ksanka prima fronte apparere tamquam mirabiliter regularem. Verum res aliter se habet. Etenim conglutinatio suffixorum personas exhibentium inter se et cum thematibus diversorum verborum, adeo multiplicibus et irregularibus modificationibus phonicis subest, ut saepe nonnisi ex ipso ore ksanka certus esse poteris de forma verbali, quae ex eiusmodi conglutinatione resultat. De modificationibus phonicis in declinatione verbi alibi agetur.

DE FORMA ACTIVA ET PASSIVA VERBORUM.

Sepositis omnibus quaestionibus philologicis, nullam distinctionem facimus inter verbum transitivum et activum, ut expeditius loquamur; distinguimus tamen inter verbum intransitivum et transitivum. Ut explicemus quid intelligimus per verbum

transitivum et intransitivum, quasdam definitiones pure nominales praemittimus.

Generatim appellamus subiectum verbi, illud nomen substantivum, vel pronomen vel quid aequivalens, de quo per verbum aliquid praedicatur. Appellamus terminum verbi nomen aliquod vel quid aequivalens, aliud a subiecto verbi, ad quod relationem, respectum, ordinem utcumque dicit verbum. Appellamus intransitivum verbum illud quod ex sua ordinaria significatione non dicit ullam relationem ad aliquem terminum: appellamus transitivum illud verbum quod ex sua ratione ordinem dicit ad aliquem terminum. Simplicius dici posset, verbum transitivum in lingua ksanka esse illud, quod capax est recipere in se particulas personarum agentium et patientium; contra intransitivum esse illud, quod recipit solummodo particulas repraesentantes personas regentes.

Hisce praenotatis progredimur ad intimius investigandam naturam verbi ksanka, quod praestabimus comparando verbum ksanka cum verbo latino. Unde ante omnia aliquae animadversiones faciendae sunt circa verbum latinum.

In lingua latina duas invenio locutiones, grammatice valde diversas, quae tamen logice, seu spectata vi significativa, sunt aequivalentes: e. g. *ego amo te*, *tu amaris a me*. In istis locutionibus grammatice consideratis forma verbalis *amo* dicitur *activa*, et forma *amaris* dicitur passiva. Si quaero: curnam forma *amo* appellatur activa potius quam passiva; cur nam forma *amaris* non appellatur activa potius quam forma *amo*, respondetur: quia subiectum verbi *amo* est persona agens, et subiectum verbi *amaris* est persona patiens. Si ulterius quaero: cur persona agens est subiectum verbi *amo*, et non potius persona patiens, et cur persona patiens est subiectum verbi *amaris*, et non potius persona agens; respondetur: quia subiectum verbi est illud quod est in casu nominativo, non illud quod est in casu obliquo. Si quaero ulterius: cur subiectum verbi transitivi est illud quod est in casu nominativo? potissima ratio, sin minus unica vere solida, est haec: quia in verbis intransitivis, in quibus non potest confundi subiectum cum termino, subiectum est evidenter in casu nominativo: ergo a pari idem dicendum est de verbis transitivis. Sane cum videam in locutionibus e. g.

ego dormio, tu dormis, Petrus dormit subiectum verbi esse in casu nominativo, iure merito per analogiam concludo, etiam in locutionibus *ego amo te, tu amaris a me*, subiectum verbi esse illud quod est in casu nominativo. Ergo concludo formam *amo* esse formam activam, et formam *amaris* esse formam passivam.

Progrediamur ulterius in investiganda natura verbi latini activi et passivi. Si considero formam *amo*, in illa velut inclusum reperio pronomen personale *ego*, quod repraesentat personam agentem et est subiectum verbi, at in illa non reperio pronomen quod referatur ad personam patientem, quod sit terminus verbi: forma enim *amo* ex se non dicit, utrum obiectum amoris sit *ego* an *tu* an *ille*. Contra in forma *amaris* invenio veluti inclusam personam patientem *tu*, at nil ex illa forma cognoscere possum utrum persona agens sit *ego* an *tu* an *ille*. Hinc concludo in lingua latina: forma activa verbi continet in se personam agentem, et non continet personam patientem, contra forma passiva continet personam patientem, non continet agentem.

Transeamus ad verbum ksanka. In qualibet forma verbi transitivi ksanka includitur tum persona agens tum persona patiens. Hoc evidens est in formis quae usurpantur quando persona agens vel patiens est prima vel secunda; idem tamen dicendum si persona vel agens vel patiens sit tertia. Hoc demonstratur argumento a priori et a posteriori. Consideretur e. g. forma *tslakilni; amat* dico hanc formam necessario significare *amat illum, vel illos.* Sane ea non significat *amat me*, vel *amat te* vel *amat nos* vel *amat vos*: ergo si aliquid significat, significat *amat illum, illos*: etenim nunquam ita loquuntur ksanka: *tslakini kaminmil*, sed dicunt: *tslaklapni;* similiter dicas de *tslakilni ninkunismil* etc. Idem confirmatur argumento a posteriori. Sane si vis e. g. dicere Petrum et Paulum amare Ioannem, debes ita latine loqui: *Petrus amat Ioannem, etiam Paulus amat illum;* neque fas est ita loqui: *Petrus amat Ioannem, etiam Paulus amat;* sed necesse est adiicere formae *amat* pronomen *illum:* contra ksanka ita loquuntur *Piel tslakilni Johns, aki Pol tslakilni*, neque tibi licet dicere *tslakilni ninkuisis:* ergo dicendum est pronomen ninkuisis, *illum* includi in ipsa forma *tslakilni.* Ergo verbum ksanka differt a latino, quatenus ex se

repraesentat tum personam agentem tum personam patientem, ac proinde sub hoc respectu neque potest dici verbum simpliciter activum, neque dici potest simpliciter passivum, sed dici debet verbum activum simul et passivum.

Transeamus ad investigandum quodnam sit subiectum verbi ksanka, utrum videlicet sit persona agens an persona patiens. Dico in hoc verbum ksanka se habet ut verbum latinum. Sane licet in lingua ksanka non sint casus nominativus et casus obliqui nominum, est tamen forma ordinaria et secundaria vocabulorum, quae idem praestat ac praestant diversi casus in lingua latina. Iam vero facile est demonstrare subiectum verbi cuiusvis esse illud nomen quod concordat in forma cum verbo. Etenim hoc per se evidens est in locutionibus quae continent verbum intransitivum: e. g. nasukwin sukni, *dux est bonus*, ninsi galiis nasukwin nas lkamus, *est filius ducis hic puer:* ubi vides subiectum *nasukwin* et verbum *sukni* in primo exemplo esse ambo in forma ordinaria: dum in secundo exemplo verbum *ninsi*, et subiectum *nas lkamus* sunt ambo in forma secundaria. Ergo quo argumento concludimus subiectum verbi latini *transitivi* esse illud quod est in casu nominativo, quia in casu nominativo est subiectum verbi intransitivi, eodem argumento concludimus subiectum verbi ksanka transitivi esse illud quod concordat in forma cum verbo, quia subiectum verbi intransitivi est illud quod concordat in forma cum verbo. Atqui id quod concordat in forma cum verbo transitivo est persona agens: e. g. nasukwin tslakilni aklsmakniks, *dux amat indos;* Yakasinkinmiki tslaklawasni nas kaminallais, kukomnakakwallais, *Deus amat nos nos miseros*, ergo subiectum verbi transitivi ksanka est persona agens. Ergo sub hoc respectu verbum ksanka est verbum activum, non passivum.

Concludimus ex omnibus huc usque disputatis; verbum ksanka grammatice consideratum, esse verbum activum simul et passivum, attamen primo et primario activum, et secundario passivum; proinde illud vocabimus *activo-passivum*.

Sed est forma quaedam peculiaris *tslaklapsi* verbi transitivi ksanka quae dicenda est forma *passivo-activa;* quia eius subiectum est persona patiens. Sane duae locutiones *nasukwin tslakilni akls-*

makniks, et *nasukwins tslaklapsi aklsmaknik* idem plane significant: id est *ducem amare indos* atqui in prima locutione subiectum est *nasukwin* quia est in eadem forma una cum verbo *tslakilni;* contra in secunda locutione subiectum est *aklsmaknik* propter eamdem rationem: ergo in secunda locutione persona patiens, est subiectum verbi *tslaklapsi;* ergo verbum *tslaklapsi* est verbum *passivo activum.* Ergo prima locutio debet verti *dux amat indos;* et secunda locutio debet verti: *a duce amantur indi.* In paradigmate loco *tslaklapsi* habes *nitkinapsi.* Non usus sum in hac discussione verbo *unitkinni* quia verbum *facio* latinum non habet passivum *facior,* ut verbum *amo,* habet *amor.*

Ex paradigmate apparet formam passivo-activam habere locum solummodo quando tum agens tum patiens sunt tertia persona. Una ex praecipuis rationibus huius oeconomiae est ea quae sequitur. Ksanka invenerunt in sua lingua duplicem seriem formarum. Prima series est e. g. utslakilni, *amo illum;* ntslakilni, *amas illum;* tslakilni, *amat illum:* secunda series est: tslaklapni, *amat me*; tslaklisni, *amat te;* tslakilni, *amat illum.* In hac duplici serie tertius terminus *tslakilni* est idem in utraque, quod officit distinctioni quam ksanka voluerunt esse plenam inter seriem et seriem. Proinde invexerunt novam formam *tslaklapsi*, quae spectata significatione aequivaleret formae *tslaklini*, sed ab ea grammatice differret, et hanc formam *tslaklapsi* voluerunt esse ultimum terminum secundae seriei. Unde duplex series de qua loquimur reapse habetur iuxta sequens schema:

utslakilni, *amo illum*	tslaklapni, *amat me*
ntslakilni, *amas illum*	tslaklisni, *amat te*
tslakilni, *amat illum*	tslaklapsi, *amatur ille*

Vides in secunda serie particulas *ap, is* respective repraesentare primam et secundam personam patientem; proinde particulam *aps* posse considerari tamquam repraesentantem persona tertiam patientem. Momentum duplicis commemoratae seriei cognoscetur quando sermo erit de participiis.

Hic quaeritur: estne in lingua ksanka aliquod verbum quod sit pure activum, et aliquod verbum quod sit pure passivum? Respondemus negative ad primam partem et affirmative ad secundam.

Sane quodlibet verbum intransitivum mediante suffixo *l* vel *il* evadit verbum pure passivum. Exemplum habes in paradigmate in verbo *unitkin-il-ni*. Verum verbum passivum *ksanka* substantialiter differt a verbo passivo latino. Etenim verbum passivum latinum coniungitur cum omnibus personis agentibus, dum verbum passivum *ksanka* cum nulla persona agente coniungitur. Etenim cum latine loquimur, dicimus e. g. *amor a te, a me, ab illo*, at cum ksanka loquimur dicimus simpliciter utslakilni, *amor*, praecisione facta a persona a qua amor. Ratio est quia ksanka utuntur verbo passivo solummodo quando qui loquitur vel ignorat personam agentem, vel vult tacere de illa, vel quando persona agens est vaga et indefinita. Hinc verbum passivum ksanka posset merito appellari verbum *passivo-impersonale*, quia est revera impersonale respectu agentis. Nos tamen, ne multiplicentur entia sine necessitate, eiusmodi verbum simpliciter appellabimus passivum.

Inde intelligis verbum passivum intransitivis verbis adnumerandum esse, quia cum ipso nullus terminus associatur, sed solummodo subiectum. Confer quae supra diximus de distinctione inter verbum intransitivum et transitivum.

Praeterea animadvertendum est in verbo passivo characteristicas, *n*, *n*, etc, personarum repraesentare non personas agentes ut in verbo transitivo, sed personas patientes, ac proinde verbum passivum debere dici verbum etymologice inversum; quatenus particulae quae communitur repraesentant personas agentes, in verbo passivo repraesentant personas patientes: e. g. utslakilni, *amo*, utslakililni, *amor*.

Non omnino improbarem illum qui usurparet verbum passivum coniunctum cum tertia tantum persona agente, et diceret e. g. utslakililni nasukwins, *amor a duce*. Verum nunquam audivi ksanka ita loquentes, neque ulla est ratio cur ita aliquis loquatur; quia semper praesto est locutio aequivalens *tslaklapni nasukwin*: quod si persona patiens sit tertia, semper praesto est locutio *tslaklapsi nasukwin*, quae accurate aequivalet locutioni latinae *amor a duce*. Verum si persona agens sit prima vel secunda, nunquam tibi licebit usurpare locutiones utslakililni ninkunismil, *amor a te*, utslakililni kaminmil, *amaris a me;* quia istiusmodi locutiones sunt plane contra indolem linguae ksanka.

Verum est constructio particularis verbi passivi et quidem legitima, quae accedit constructioni grecae; dicunt enim ksanka e. g. unakulni, kakisiy, *fossus sum circa utramque manum meam*, loco dicendi: *foderunt manus meas*, nakuni kakisiymil; qui ultimus modus loquendi non esset legitimus: forma enim *nakuni* non habet sensum impersonalem respectu subiecti agentis, ut *foderunt* in lingua latina; significat enim: *ille fodit*, vel *illi foderunt*, et non simpliciter *foderunt* impersonaliter.

DE VERBIS PASSIONIS.

In lingua ksanka sunt quaedam verba intransitiva, in quibus personae repraesentantur particulis *ap*, *is*, *awas*, etc. loco particularum *u*, *n*, *alla*, etc. e. g. komaakanikitnalapni, *moereo*, nakaiimiyitnalapni; *habeo visionem perturbatam;* sa'annikitnapni, *irascor*; sukaikitnalapni, *delector*, *afficior voluptate*, sa'ankinapni, *est mihi contraria fortuna*, etc. Ista verba passionem aliquam significant, ideoque ea appellavimus verba passionis. Istis verbis interdum respondent alia verba pariter intransitiva, quae tamen communi more declinantur, quaeque significant illam aptitudinem activam unde producitur passio significata a verbo passionis: e. g.

usuknikitni, *sum delectabilis*	suknikitnalapni, *delector*
nsuknikitni, *es delectabilis*	suknikitnalisni, *delectaris*
suknikitni, *est delectabilis*	suknikitnalapsi, *delectatur*.

Vides primum verbum repraesentare virtutem activam quae appellari potest delectativitas, cui respondet delectatio, quae est animi passio repraesentata a secundo verbo.

Non omnia verba passionis sunt intransitiva, dantur quaedam transitiva. Exemplum horum verborum habes in verbo *sa'anlikpaktapni*, quod significat animi displicentiam erga aliquam rem, ac potest verti per verba *improbo*, *abhorreo*, *odio afficior erga aliquem*. In verbis transitivis passionis, personae agentes repraesentantur per characteristicas quae communiter in verbis transitivis repraesentant personas patientes, et viceversa: unde possunt appellari verba inversa. Esto exemplum

nsa'anlikpaktapni	*abhorreo a te*
usa'anlikpaktisni,	*abhorres a me*
sa'anlikpaktapni,	*abhorreo ab illo*
sa'anlikpaktisni,	*abhorres ab illo*
sa'anlikpaktapsi,	*abhorret ab illo*

usa'anlikpakti,	*abhorret a me*
nsa'anlikpakti,	*abhorret a te*
usa'anlikpaktallani,	*abhorret a nobis*
nsa'anlikpakitkilni,	*abhorret a vobis*
sa'anlikpakti	*est ille a quo ille abhorret.*

Non esset difficile eliminare verba transitiva passionis, eaque ad verba transitiva communia revocare, si in latinum verterentur ita ut terminus verbi evaderet subiectum. Verbum e. g. usa'anlikpakti, quod vertimus *abhorret a me* posset latine reddi ita: *ego sum obiectum aversionis eius.* Verum praeterquamquod hoc esset pervertere genuinam significationem verbi, oriretur praeterea magna confusio in definiendis significationibus nominum participialium, ut videbimus in articulo sequenti. Proinde congruum duximus eiusmodi verba considerare tamquam specialem classem constituentia, eaque appellare verba inversa.

DE FORMA PARTICIPIALI

Cum duo tantum sint mentis operationes, id est, simplex apprehensio et iudicium, si iuxta illas distinguere vellemus vocabula verbalia, deberemus appellare verba solummodo illas formas verbales quae iudicium mentis exprimunt, et appellare participia reliquas omnes formas, quae simplicem mentis conceptum significant. Inde sequeretur quod omnes et solae formae modi indicativi dicendae essent verba, et reliquae omnes formae cuiusvis modi, exceptis formis imperativis, dici deberent participia, vel formaliter vel aequivalenter. Exceptio facta est pro formis imperativis; quia istiusmodi formae potius actum voluntatis, quam conceptum mentis significant. Si vero, ut debemus, formas verbales grammatice consideremus, aliter res se habet. Participium enim modo se habet, ut verbum, quatenus subest iisdem grammaticalibus constructionibus verbi, modo se habet ut nomen, quia ut nomen construitur.

Participium ksanka generatim habendum est ut verbum; quod autem formae participiali ksanka communiter respondet in lingua latina est ipsum verbum praeposito pronomine relativo *qui, quae, quod*. Confer paradigma. Verum participium ksanka interdum habet vim nominis, et fere semper nominis substantivi.

Non est hic locus loquendi pro dignitate de participio ksanka, sive ut vim habet verbi, sive ut nominis vim habet. In praesenti solummodo dabimus paradigma participii tum ut fungitur munere verbi tum ut fungitur munere nominis, iuxta illam duplicem seriem formarum verbalium, de qua locuti sumus in articulo *de forma activa et passiva*.

SCHEMA PRIMUM

kutslakil,	*qui amo illum*	ktslaklap,	*qui amat me*
kintslakil,	*qui amas illum*	ktslaklis,	*qui amat te*
ktslakil,	*qui amat illum*	ktslaklaps,	*qui amatur ab illo.*

SCHEMA SECUNDUM

kutslakil,	*amor meus; obiectum amoris mei*
kintslakil,	*amor tuus; obiectum amoris tui*
ktslakil,	*amor eius; obiectum amoris eius*

---

ktslaklap,	*meum esse amatum; amator meus*
ktslaklis,	*tuum esse amatum; amator tuus*
ktslaklaps,	*eius esse amatum; amator eius.*

Circa primum horum schematum nil dicendum est. Circa secundum faciendae sunt nonnullae animadversiones. Prima series repraesentat formam activam amoris, secunda repraesentat formam passivam esse amati; rursum prima series repraesentat rem vel personam patientem; secunda series repraesentat personam agentem. Ut hoc intelligatur animadvertendum est illas duas series concipi a ksanka ut oppositas; ita ut si una repraesentat activum, alia repraesentet passivum correspondens. Ratio est, quia particulae personales in illis seriebus sunt oppositae: in prima enim serie repraesentant personas agentes, dum in secunda repraesentant personas patientes. Hoc posito forma e. g. *kutslakil*, quae

primo et primario significat *qui amo*, si usurpari velit ad significandam formam amoris, evidenter significabit formam amoris activam, id est *amor meus;* ergo, ratione oppositionis, forma *ktslaklap* secundae seriei repraesentabit formam passivam amoris, idest *meum esse amatum*. Si autem consideretur forma *ktslaklap*, ea ex primo schemate primo et primario significat *qui amat me*, atqui *qui amat me* idem est ac *amator meus*, seu subiectum activum amoris; ergo ratione oppositionis, forma *kutslakil* primae seriei secundi schematis repraesentabit *obiectum passivum amoris mei*.

Vides ergo particulas *u*, *u*, *ap*, *is*, etc. in nominibus participialibus non retinere eamdem significationem quam habent in participiis fungentibus munere verborum. Imo in nominibus participialibus eadem particula e. g. *u* modo adsignificat personam agentem, ut in kutslakil, *amor meus*, modo repraesentat personam patientem, ut in kutslakil, *obiectum amoris mei*. Item dicito de particula *ap*, quae modo adsignificat personam patientem ut in ktslaklap, *meum esse amatum;* modo repraesentat personam agentem ut in ktslaklap, *amator meus*. Similiter dicito de aliis particulis omnibus. Haec sedulo animadvertenda et retinenda sunt, quia fere omnia nomina, quae originem habent a verbo, in lingua ksanka sunt ipsamet participia verbi. Lingua enim ksanka pauperrima est in formis nominalibus, ut suo loco videbimus.

Quoad participia verborum intransitivorum, quando ut nomina usurpantur, nulla est difficultas. Ea enim vel repraesentant ipsum subiectum verbi, vel significant formam quae per verbum de subiecto praedicatur. Sic ex verbo ukomnini, *dormio*, participium kukomni, *qui dormio*, ut nomen, significat vel *ego dormiens*, vel *somnus meus*.

Transitum faciamus ad consideranda nomina participialia verborum inversorum. Illa nullo negotio obtinebis ex paradigmate superiori simpliciter invertendo formas, ita ut ubi sunt formae habentes particulas *u*, *u*, etc. ponantur formae habentes particulas *ap*, *is*, etc. Inde schema ex verbo sa'anlikpaktapni, *odio afficior erga aliquem*.

ksa'anlikpaktap,	*odium meum;*	*obiectum odii mei*,	*inimicus meus.*
ksa'anlikpaktis,	*odium tuum;*	*obiectum odii tui*,	*inimicus tuus.*
ksa'anlikpaktaps,	*odium eius;*	*obiectum odii eius*,	*inimicus eius.*

kusa'anlikpakit,	*meum esse sub odio, osor meus,*	*inimicus meus,*
kinsa'anlikpakit,	*tuum esse sub odio, osor tuus,*	*inimicus tuus,*
ksa'anlikpakit,	*eius esse sub odio, osor eius,*	*inimicus eius.*

Vides quam facile fuit assignare significationem nominum participialium derivatorum ex verbo inverso, assumpta pro norma ipsa natura inversionis. Quod si, repudiato conceptu inversionis, verba transitiva passionis habita fuissent ut transitiva communia, nescio an perventum fuisset ad definiendam accurate significationem nominum participialium quae ab ipsis derivantur. Hinc intelligitur necessitas concipiendi verba passionis ut verba *inversa*.

Nota. Ea quae dicta sunt de verbo passivo, et de nominibus participialibus sunt extra proprium locum; quia verbum passivum est verbum derivatum, et derivata pariter sunt nomina participialia; de verbis autem et nominibus derivatis alibi sermo erit. Ratio cur, agentes de declinatione verbi, quamdam veluti parenthesim inseruimus, est haec. Forma passivo-activa est forma primitiva, ac nullatenus dici potest derivata, item dicito de verbis passionis. Agentes autem de forma passivo-activa, ut eius significatio rite explicaretur, necesse fuit aliquid dicere de forma simpliciter passiva; praeterea ut ostenderetur ratio praecipua propter quam invecta fuit forma passivo activa, necesse fuit aliquid dicere de nominibus derivatis a verbo, in quibus formae participiales activo-passiva et passivo-activa diversas prorsus habent significationes; licet eaedem formae, ut munere verbi funguntur, idem significent.

DE DECLINATIONE MODI IMPERATIVI

Gradum faciamus ad considerandum modum imperativum. Circa imperativum verbi intransitivi repraesentati in verbo *ukomuini*, satis sunt quae in *introductione* diximus. Quod attinet ad imperativum verbi *unitkinni*, considerandae sunt seorsim personae agentes et personae patientes.

Si in forma aliqua imperativa persona agens sit prima vel tertia, illa forma non est forma propria modi imperativi sed pertinet ad modum subiunctivum; quia imperium per se fertur in personam secundam. Sane ex subiunctivo repetuntur formae e. g.

faciam, u-l-itkin, *faciat*, l-itkin. Si autem persona agens sit secunda, ea repraesentatur per suffixum *-n* vel *-in* in numero singulari: in numero vero plurali persona secunda agens repraesentatur per suffixum *-kil*: e. g. itkin-in, *fac* itkin-kil, *facite*. Unde vides personam secundam agentem in formis imperativis verbi transitivi repraesentari plus minusve simili modo, quo repraesentatur persona secunda agens in formis verbalibus omnibus.

Transeamus ad considerandas personas patientes. In forma imperativa verbi transitivi persona patiens non potest esse secunda; quia cum persona agens necessario sit secunda, si etiam persona patiens esset secunda, forma haberet significationem reflexivam, ac proinde non ad verbum transitivum, sed ad verbum reflexivum pertineret. Ergo in formis imperantibus verbi transitivi persona patiens vel est prima, vel tertia. Si sit tertia persona, eius characteristica est absentia cuiusvis characteristicae: hinc formae itkin-in, *fac*, itkin-kil, *facite*, significant *fac illum*, *facite illum*. Si autem persona patiens sit prima, eius characteristica est ipsa characteristica personae primae patientis verbi, id est *ap* pro numero singulari, et *awas* pro numero plurali: e. g. itkin-ap-kil, *facite me*, itkin-awas-kil, *facite nos*. Verum quando suffixa *ap* et *awas* iungenda sunt cum suffixo *in* secundae personae agentis, suffixum compositum *ap-in* mutatur in *u* vel *nu*, suffixum vero *awas-in* mutatur in *awas-nu;* unde loco *itkin-ap-in*, habes *itkin-u*, et loco *itkin-awas-in* habes *itkin-awas-nu*. Ratio harum mutationum nulla alia est nisi arbitrium loquentium.

Placuit in hoc articulo aliqualiter modificare ea, quae de imperativo verbi transitivi dicta sunt in *introductione*, ut regula tradita ad efformandum imperativum verbi transitivi posset applicari etiam verbo sub forma secundaria, ubi suffixa *u* vel *nu* non comparent.

DE ACCIDENTIBUS PHONICIS IN DECLINATIONE VERBORUM.

Quamvis, ut supra notavimus, regularissima sit declinatio verborum per particulas praefixas et suffixas, nihilominus, in coniungendis istis particulis cum themate verborum, plures et diversae pro diversitate thematum interveniunt modificationes

phonicae, quae regulis omnino generalibus subiici non possunt. Praecipuas ex istiusmodi modificationibus in praesenti articulo attingimus, quae cuilibet verbo cuiusvis classis et formae accidere possunt. Modificationes vero, quae in solis verbis secundae et tertiae classis, vel in formis secundariis vel derivatis locum habent, in aliis articulis seorsim considerabimus.

Antequam agamus de modificationibus phonicis quae accidunt in praefigendis vel suffigendis particulis declinativis, notandum est aliud accidens phonicum, illud videlicet quod suscipit ipsum thema verbi, quoties monosyllabum est. Quoties enim thema verbi est monosyllabum, ipsi praefigitur vocalis *i*, in illis formis quae sine eiusmodi praefixo essent monosyllabae. Interdum tamen praefigitur vocalis *i* etiam in aliqua forma, quae per se esset dissyllaba. Exempla ex verbo u-lu-ni *absens sum*, et ex verbo un-ip-ni *mortuus sum*:

ul'lu *vel* ul-i-lu,	*absim*	ul-ip *vel* ul-i-ip,	*moriar*
nl-i-lu,	*absis*	nl-i-ip,	*moriaris*
l-i-lu,	*absit*	l-i-ip,	*moriatur.*

In forma conditionali characteristicae *u*, *n*, *nihil* vel *un*, *n'n*, *n* mutantur in *un*, *nin*, *in*:

un-lu,	*si abfuero*	un-ip,	*si mortuus fuero*
nin-lu,	*si abfueris*	nin-ip,	*si mortuus fueris*
in-lu,	*si abfuerit*	in-ip,	*si mortuus fuerit.*

Circa modificationes phonicas, quas subeunt formae verbales in suscipiendis praefixis declinativis, nulla est difficultas; vidimus enim praefixa *u*, *n*, *nihil*, evadere *un*, *n'n*, *n*, si sequatur vocalis. Indi Akuklalgo post praefixum *u* inserunt phonicam *n* licet sequatur consona, saltem aliquando; interdum etiam non praefigunt *n* phonicum tertiae personae licet sequatur vocalis. Sic dicunt *untsgani* loco *utsgani*, *itkinni*, loco *nitkinni*; sed illos imitari non debemus.

Praefixa participialia *ku*, *kin*, *k*, praefixa *ts*, *tsgal*, futuri temporis, praefixum *l* modi subiunctivi nullam unquam subeunt vel inducunt modificationem phonicam.

Praefixum *sil* temporis praesentis amittit vocalem *i* si sequatur vocalis. Si accurate rem concipere velimus, debemus dicere,

praefixum praesentis temporis esse particulam *sl*, quae assumit phonicam *i* si sequatur consona. Phonica *i* assumenda est etiam, licet sequatur vocalis, quoties vocabulum, illa non assumpta, esset monosyllabum. Sic ex verbis slipni, *moritur*; slikni, *edit* habes participia *k-sil-ip*, *k-sil-ik*. Interdum assumitur phonica *i*, licet vocabulum sit ex se dissyllabum: e. g. kin-sil-ik, *edis ne?* Verum forma *kin-sl-ik* censenda est omnino legitima.

Si in eodem vocabulo concurrant particulae *ts* et *sil*, consona *ts* primae particulae confunditur cum consona *s* secundae, et particula composita evadit *tsil*, vel *tsl*. Ista veluti compenetratio consonarum saepe occurrit in compositione vocabulorum.

Tota difficultas est in modificationibus quas subeunt formae verbales, dum suscipiunt suffixa *allä*, *ap*, *awas*, *is*, *is-kil*, *aps*, et desinentiam *i*. Suffixum enim *kil* nullam inducit modificationem. Verum animadvertendum est suffixa *awas*, *is*, *is-kil*, *aps*, eamdem inducere modificationem phonicam quam inducit suffixum *ap*. Unde nil aliud attendere debemus nisi suffixa *alla*, *ap*, et desinentiam *i*. Primo considerabimus desinentiam *i* deinde suffixum *alla*, demum suffixum *ap*.

Tota modificatio quam potest inducere desinentia *i* in eo est, ut ante se assumat phonicam *n*. Prima quaestio resolvenda circa phonicam *n* est, quomodo discerni potest utrum litera *n* ante desinentiam *i* sit phonica, an potius pertineat ad thema verbi. Resolutio empyrica quaestionis est haec. Petatur ab indo ut proferat formam aliquam verbi, de quo agitur, quae careat desinentia, e. g. formam aliquam participialem. Si haec forma non desinat in *n*, certum est literam *n* ante desinentiam *i* esse phonicam: sic e. g. proposito verbo ukwakini, *dico*, audies kinkaki? *dixistine?* proinde illico deduces verbum ita scribendum esse *ukwaki-ni*, ac literam *n* esse phonicam. Si autem forma participialis desinat in *n*, generatim concludes, ante desinentiam *i* esse duplicem *n*, quarum altera pertinet ad thema, altera vero est phonica. Sic proposito verbo unitkinni, *facio*, audies: kinitkin? *fecistine?* unde argues verbum non debere scribi: *unitkini*, sed *unitkin-ni*.

Interdum tamen, licet forma verbalis carens desinentia declinationis desinat in *n*, non inde sequitur haberi duplex *n* ante

desinentiam *i* declinationis. Sic ex forma kinulpalin? *intellexisti ne?* perperam deduceres formam *unulpalinni*, cum vera forma desinentia declinationis gaudens sit *unulpalni*. Verum istiusmodi exceptiones sunt paucae.

Praeter regulam empyricam traditam ad discernendum utrum litera *n* ante desinentiam *i* sit necne phonica, alia suppetit regula rationalis, satis generalis, secundum quam cognosci potest, utrum ante desinentiam *i* sit necne duplex *n*. Regula est haec. Si ante desinentiam sit syllaba *kin*, et verbum significet operationem aliquam quae, si sensu proprio acciperetur, fit manibus, verbum desinit in *kin-ni*. Iuxta hanc regulam illico cognoscis verbum ukwakini, *dico* habere unam tantum *n* ante desinentiam *i*, dum contra verbum ukwakinni, *ita aliquid tracto*, distingui a verbo *dico*, quia ante desinentiam *i* litera *n* est duplicata. Secundum eamdem regulam illico cognoscis habere duplicem *n* ante desinentiam *i* verba unitkinni, *facio*, utsinkinni, *apprehendo*, unalkinni, *manibus porto*, etc. Dixi regulam traditam esse satis generalem, quia rarissima sunt verba, quae habeant duplicem *n* ante desinentiam *i* quin habeant syllabam *kin* ante eamdem desinentiam. Nescio utrum praeter verbum uninni *sum*, usahanni *malus sum*, sit aliquod aliud verbum, in quo duplicetur *n* ante desinentiam *i*, absente suffixo *kin*

Inquiramus ulterius, quaenam verba assumant phonicam *n* ante desinentiam *i*, quaenam non assumant. Huic quaestioni respondet regula, quae sic enuntiatur. Quoties thema verbi desinat in aliquam vocalem, inter hanc et desinentiam *i* semper interiacet phonica *n*. Quoties vero thema verbi desinat in consonam, et haec consona neque sit *s* neque sit *t* neque sit *ts*, etiam in hoc casu ante desinentiam *i* assumitur phonica *n*. Quoties autem thema verbalis desinat in *s* vel in *t* vel in *ts*, nulla dari potest regula; quia interdum ante desinentiam *i* reperitur phonica *n*, interdum non reperitur. Superfluum esset declarare exemplis primas duas partes huius regulae, sufficiat exempla afferre pro tertia parte; unis-i, *cibo aliquem;* unakmalis-ni, *expergiscor;* nas-ni, *sunt duo;* uk'kats-i, *vagor*, unalwats-ni, *ludo;* unilwat-i, *mitto aliquem;* ukutspat-ni, *sum negligens*.

Videtur aliquando exceptio fieri regulae traditae, quando

thema verbi desinit in *k;* habetur enim *nak-ni*, et *nak'ki*, *natat* et plura alia similia. Verum in casu non agitur de aliqua exceptione regulae generali, sed de nova quadam desinentia *ki*, quam quaedam verba assumere possunt praeter desinentiam *i* vel *ni* vel *ge*. De hac peculiari desinentia suo loco sermo erit

Haec quae diximus supponunt inter thema verbi et desinentiam *i* nullum intercedere suffixum. Verum si intercedat suffixum personale, semper assumitur phonica *n* ante desinentiam *i* sive suffixum desinat in vocalem, sive desinat in consonam. Idem dicendum, si ante desinentiam inseratur suffixum *mil* vel *is* formae secundariae. Attamen non assumitur phonica *n* ante desinentiam, si suffixum formae secundariae praecedens desinentiam sit sola litera *s*, vel particula *ts*, ut quandoque accidit. Inutile esset exempla afferre ad illustrationem; sufficit consulere paradigma.

Praeter quaestiones circa literam *n* quae praecedit desinentiam declinationis, aliae quaestiones moveri possent circa modificationes phonicas, quas thema verbale subit quando recipit desinentiam declinationis, vel illam amittit. Videmus enim themata verborum e. g. unilkanagamgani, *recedo ab aliquo;* ukomnakalukuniagani, *misereor;* usa'anlwini, *irascor;* unupsti, *ille est meus;* unulpalni, *obedio;* ukanlalti, *percutio;* etc. modificari plus minusve, quando desinentiam abiiciunt, ut videre est in *kilkanagamgna*, vel *kilkanagàmgana; kinkomnakalukuniga; kinsa'anilwi; kupsit; kinulpalin; kinkanlalit.* Quaedam ex istis modificationibus phonicis nulli regulae generali subiici possunt; quia pendent ex concursu accidentali quarumdam literarum; quaedam vero pendent a legibus phonicis generalibus. Harum legum unam hoc loco tradere praestat, quae ita enuntiari potest.

Si in compositione vel resolutione particularum, quae themati suffiguntur, accidat, ut vel concurrant simul tres consonae, vel vocabulum desinat in duas consonas, inseritur inter primam et secundam consonam vocalis phonica *i*, quae tamen non trahit ad se accentum principalem.

Coarctamus regulam ad suffixa; quia in componendis praefixis regula saepe non attenditur: e. g. a*kls*maknik, *ktsts*ukwat, ki*nlk*unam, etc. Coarctamus regulam ad particulas suffixas; quia

si consonae, inter quas inseri deberet phonica *i*, pertineant ap radicem, regula frustrari posset; e. g. nalka*ltk*inilik, *portat filium manibus;* kaaka*lt;* kaakukla*nt*, *meum indumentum;* aka*ltn*is; etc. Seponi etiam potest regula, praesertim quando concursus consonarum non fit in fine vocabuli, si prima consona sit una ex liquidibus: e. g. k'kanla*ltm*ul, *ferula, flagellum;* kinulpa*lnm*il; quamvis in istis exemplis posset inseri vocalis *i* et scribi *k'kanlàlitmul, kinulpàlinmil;* dummodo accentus non applicetur vocali phonicae. Demum in applicatione regulae attendendum est particulam *ts* ut plurimum habendam esse ut unam consonam aequivalentem consonae *z*. Applicationem regulae habes in quibusdam ex supra allatis exemplis, et in ipsa particula *sl* quae evadit *sil*, si sequatur consona.

Transeamus ad considerandas modificationes phonicas, quas subit forma verbalis dum suscipit suffixum *alla*. Etiam circa hoc suffixum inquirendum est, quandonam ante ipsum inserenda sit phonica *n*. Huic quaestioni respondendum est illud ipsum quod diximus de desinentia *i*; quia quemadmodum se habet phonica *n* ante desinentiam *i*, ita se habet phonica *n* ante suffixum *alla*. Verum pro suffixo *alla* sunt plures exceptiones, quae locum non habent circa desinentiam *i*, de quibus seorsim agendum est.


Verba quae desinunt in *ka-ni* deberent iuxta regulam assumere phonicam *n* ante suffixum *alla*, quia eamdem phonicam assumunt ante desinentiam *i*, et desinere in *ka-nalla-ni*; verum neque suscipiunt phonicam *n* neque desinunt in *ka-alla-ni*, sed in *kwalla-ni*. Exempla ukaka-ni, *ita me habeo;* ukakwallani, *ita nos habemus;* utsmak'kani, *factus sum fortis;* utsmak'kwalla-ni, *facti sumus fortes*. Verum verbum unukwaka-ni, *lucror*, format plurale iuxta regulam generalem unukwaka-nalla-ni, *lucramur*.

Verba quae desinunt in *kna-ni* loco phonicae *n* assumunt phonicam *w* ante suffixum *alla*, ac proinde formant plurale in *kna-w-alla-ni*. Exempla: ukaknani, *ita me gero;* ukakna-w-alla-ni, *ita nos gerimus*.

Verba quae desinunt in *ki-ni*; non assumunt phonicam *n* ante suffixum *alla*. Exempla: ukaki-ni, *dico;* ukaki-alla-ni, *dicimus*.

Vides phoniam indorum ksanka interdum legibus non constringi.

**IMAGE EVALUATION
TEST TARGET (MT-3)**



De modificationibus phonicis quae accidunt suffixo *nalla* in verbis 2ae et 3ae classis, agemus in aliquo speciali articulo.

Demum deveniendum est ad suffixum *ap*, et ad modificationes phonicas quae illi accidunt. De hoc quoque suffixo dicenda sunt ea quae dicta sunt de desinentia *i*. Verum exceptiones faciendae sunt, si thema verbi desinat in *l*. Etenim interdum inter *l* et *ap* inseritur phonica *n* iuxta regulam generalem: e. g. utsgamal-ni, *oro*, utsgamal-nalla-ni, *oramus*, tsgamal-nap-ni, *adorat me*. Interdum vero non inseritur phonica *n* et praeterea aliae accidunt modificationes, ut in casibus sequentibus.

Si verbum desinat in *kil-ni*, syllaba *kil* ante *ap* amittit literam *i*, et respuit phonicam *n* e. g. utslakil-ni *amo;* utslakil-nalla-ni, *amamus*, tslakl-ap-ni, *amat me;* tslakl-is-ni, *amat te;* tslakl-awas-ni, *amat nos;* tslakl-aps-i, *amatur ab illo*.

Quaedam verba quae desinunt in *mal-ni*, cum suscipiunt suffixum *ap*, respuunt phonicam *n* et mutant syllabam *mal* in *nal*: e. g. uksamal-ni, *sequor;* ksanal-ap-ni, *sequitur me;* uksamumal-ni, *adiuvo;* ksamunal-ap-ni, *adiuvat me*.

Sunt quaedam verba *eundi et veniendi* intransitiva quae desinunt in *ge* vel in *gamni*, quaeque fieri possunt transitiva mutatis eorum desinentiis in *malni*: e. g. utsina-ge *eo;* utsina-malni, *duco;* utna-gamni, *ingredior;* utna-malni, *introduco*. Ista verba ante suffixum *ap* mutant particulam *mal* non in *nal*, sed in *mnal*: e. g. tsina-mnal-ap-ni, *duxit me;* tna-mnal-ap-ni, *introduxit me*.

In quibusdam aliis verbis, quae desinunt in *malni* adhuc implicatior est modificatio phonica, quam ea subeunt, dum suscipiunt suffixum *ap:* e. g. utaktimal-ni, *loquor alicui;* taktal-apni, *locutus est mihi*. Istas irregularitates phonicas, et alias in declinatione verbi, nonnisi usu addiscere poteris.

Antequam huic articulo finem imponamus, considerandae sunt modificationes phonicae, quae accidunt modo imperativo. Verba intransitiva quorum thema desinit in particulam *lwi*, quae significat, *cor*, *mens*, *voluntas*, in modo imperativo assumunt suffixum *in* loco *n* et ante suffixum inserunt phonicam *y*. Sic ex verbis e. g. ukalwini, *puto*, *volo;* upitskalwi-ni, *timeo* loco formarum *kalwi-n*, *pitskalwi-n*, habes mats kalwi-y-in, *ne puta;* mats pitskalwi-y-in, *ne*

time. Simile quid accidit nomini akikli-am, *nomen*, quando suscipit pronomen possessivum tertiae personae: loco enim *akikli-is*, habes *akikli-yi-is:* unde declinatio nominis *akikliam* secundum pronomen possessivum est, ka-aklik, *meum nomen:* akikli-nis, *tuum nomen:* akikli-yi-is, *eius nomen*.

Forma imperativa verbi transitivi quae desinit in *u* vel *nu*, sequitur leges quibus regitur suffixum *op*: sic habes tslakl-u, *ama me* loco *tslakil-nu;* ksanal-u, *sequere me;* loco *ksamal-nu;* tnamnal-u *introduc me* loco *tnamal-nu*.

DE DECLINATIONE VERBI SUB FORMA SECUNDARIA,

EIUSQUE ACCIDENTIBUS.

Verbum induit formam secundariam prout subest personae regenti seu agenti, nulla habita ratione personae patientis, si qua est. Suffixa formae secundariae in verbo sunt ipsamet suffixa formae secundariae nominis compositi cum pronomine possessivo: en schema:

1a *pers. sing.*		-mil	1a *pers. plur.*		-is
2a	" "	-mil	2a	" "	-mil
3a	" "	-is *vel*-s	3a	" "	-is*vel*-s

Particulae pertinentes ad formam secundariam inseruntur semper post particulas, quae personas repraesentant. Excipienda est particula personalis pluralitatis *kil*, quae sine ulla exceptione est ultimum omnium suffixorum, quod constanter praecedit immediate desinentiam declinationis: consule paradigma. Propter hanc rationem suffixum *mil* formae secundariae, quando concurrit cum suffixo personali composito *is-kil*, locum occupat inter *is* et *kil*, hoc modo *is-mil-kil*: consule paradigma.

Forma secundaria verbi in tertia persona habet suffixum *is;* verum quando non solum persona regens, sed etiam persona patiens est tertia suffixum *is* amittit, vocalem *i*, et reducitur ad solam *s*: sic habes e. g. nitkin-s-i, *ille fecit illum*, loco *nitkin-is-ni*. Ratio est, quia forma *nitkin-is-ni*, significat: *fecit te;* unde ad evitandam aequivocationem necesse fuit usurpare particulam *s* loco *is* pro forma secundaria. Quamvis aequivocatio, de qua loquimur,

haberet locum solummodo in verbis transitivis, quae ontinent personas patientes, nihilominus, propter uniformitatem, etiam in verbis intransitivis loco suffixi *is* usurpatur suffixum *s* ad habendam formam secundariam: sic e. g. habes *nip-s-i*, loco *nip-is-i* formam secundariam verbi nip-ni, *mortuus est.*

Ex iis quae diximus intelligitur, nullam esse per se irregularitatem in declinatione verbi per formas secundarias. Verum irregularitas supervenit ex modificationibus phonicis quae declinationi accidunt. Harum modificationum duas notabimus.

Verba quae desinunt in *kini*, in tertia persona sub forma secundaria loco desinendi in *kisi* iuxta regulam generalem, desinunt in *kitsi*, vel *kiksi:* e. g. kakini, *dicit*, habet formam secundariam *kakitsi* vel *kakiksi.* Hoc interdum accidit etiam in nominibus e. g. in yiski *quantitas* cuius forma secundaria est *yistski.*

Verba intransitiva quae desinunt in *kani*, ante suffixum formae secundariae assumunt phonicam *p*: sic ex verbo ukausakani, *habito* habes formas secundarias *ukausaka-p-mil-ni*, *kausaka-p-s-i* Idem dicito de verbo *kaknani*, cuius forma secundaria est *kaknapsi.* Haec irregularitas in forma secundaria est casus particularis phonicus generalis phoniae propriae syllabae *ka*. Etenim syllaba *ka* in compositione cum particulis quae incipiunt a consona saepissime assumit phonicam *p* tamquam glutinem. Sic loco *kitka-mu*, habes kitka-p-mu, *caussa rei; ka-p-sil*, loco *ka-sil; ka-p-takil* loco *ka-takil*, etc. Verum hoc non semper accidit, quia quoties particula *ka* negationem significat, fere nunquam vel nunquam assumit *p* post se quando verbis praefigitur e. g. u-takinni, *possum facere;* u-ka-takinni, *non possum facere.* Variationes phonicae cum suis irregularitatibus in lingua ksanka constituunt unam ex difficultatibus linguae, ubi vocabula omnia sunt opus musivum, cuius lapilli diversis glutinibus cohaerent inter se.

Animadversio magni momenti facienda est. Ne confundas concursum trium literarum *aps* in forma secundaria verborum intransitivorum desinentium in *kani* cum suffixo *aps* formae passivo-activae verborum transitivorum. Illud enim *aps* quod reperitur e. g. in *kausakapsi* oritur, ut innuimus, ex concursu trium literarum, quarum prima *a* pertinet ad particulam *ka*, secunda *p* est phonica,

tertia *s* est suffixum formae secundariae. Contra particula *aps* quae reperitur e. g. in *nitkin-aps-i* est characteristica formae passivo-activae. Si attendatur ad significationem verbi evanescet periculum confusionis; quia si verbum sit intransitivum, non potest suscipere suffixum formae passivo-activae; si autem sit transitivum non desinit in *kani*, quia desinentia *kani*, ut suo loco videbimus, est propria verborum intransitivorum.

Antequam concludamus hunc articulum de forma secundaria, animadversio facienda est circa verba passionis. Characteristica formae secundariae verborum intransitivorum passionis, sub quavis persona ac numero, est particula *is*. Ratio est quia formae omnes horum verborum etymologice spectatae sunt eaedem ac formae verborum transitivorum, in quibus persona agens est tertia; sic e. g. suknikitnalapni, *delector*, etymologice identica est formae tsikatapni, *aspicit me*. Atqui in verbis transitivis communibus formae omnes, in quibus persona agens est tertia, assumunt formam secundariam mediante suffixo *is*: ergo idem dicendum est de formis verborum intransitivorum passionis. Quod attinet autem ad verba passionis transitiva nil est dicendum, cum ea etymologice identica sint verbis transitivis communibus tum sub forma ordinaria, tum etiam sub forma secundaria.

Verbum *stapni* potest considerari ut verbum passionis transitivum, quatenus possideri ab aliquo est veluti passio, saltem ita res concipitur a ksanka. In exhibendo schemate declinationis huius verbi non ea fuit mens, ut paradigma traderetur declinationis verborum passionis, quae, ut diximus, habent suum paradigma in declinatione verbi *unitkinni*. Illud schema propositum est, quia verbum *stapni* est, ut ita dicam, ipsum pronomen possessivum *meus*, *tuus*, *eius* verbificatum, quod praeterire non licuit. Praeterea declinatio istius verbi est quadantenus irregularis. Sane si qua est radix huius verbi, ea est particula *st*, quae, si sequatur consona, assumit vocalem *i* evaditque *sit*. Videmus autem quasdam verbi formas, praeter radicem, assumere etiam praefixum *up*, quasdam vero non assumere; neque datum fuit regula quadam generali definire conditiones, sub quibus particula phonica *up* assumatur vel reiiciatur. Ipsique indi eamdem formam modo cum particula

up. modo sine illa pronuntiant. Imo, quod adhuc magis inconveniens est, fit confusio penes indos circa usum ipsius verbi. Illud enim interdum usurpant perinde ac si non esset verbum inversum, cum procul dubio ut verbum inversum habendum sit. Unde factum est ut, dum in oratione dominicali voluerunt indi vertere *adveniat regnum tuum* per *sint res tua omnia corda*, reapse verterint; *tu es res omnium cordium*, stisni na yisaki akilwinam. De hoc verbo alibi sermo erit. Declinatio huius verbi ultimum locum in paradigmate occupare debuisset, verum ne plures paginae inanes relinquerentur, necesse fuit praeponere illam declinationi verbi *suknikitnalapni*.

DE VARIATIONIBUS IN DECLINATIONE VERBI RELATIVI ET PASSIVI

Praeter schema declinationis verbi *unitkinni*, exhibuimus schema declinationis verbi relativi *unitkiniktsi*, praeterea exhibuimus schema declinationis verborum passivorum *unitkinilni* et *unitkiniktsilni*, quae a verbis *unitkinni* et *unitkiniktsi* derivantur; demum dedimus schema declinationis verbi passivi *unitkinmulni*, quod proxime ex verbo *unitkinmuni*, remote autem ex ipso verbo primitivo *unitkinni* derivatur. Declinationem verbi relativi et verborum passivorum consideramus in praesenti articulo, quatenus ea aberrat a declinatione verbi primitivi. Incipimus a verbo relativo.

Characteristica verbi relativi est suffixum *kts*. Quoties hoc suffixum inseritur in aliquo vocabulo attendenda sunt ea quae sequuntur. Si ante et post suffixum *kts* sit aliqua vocalis, nulla accidit mutatio phonica in insersione suffixi: e. g. ex verbo unaklukuigamu-ni, *desidero aliquid*, derivatur unaklukuigamu-kts-i, *desidero aliquid alicui*. Neque dicas in casu accidere mutationem phonicam cum abiiciatur litera *n* ante desinentiam *i*, quia potius cessat mutatio phonica prius inducta in verbo primitivo, cum litera *n* sit phonica. Omnino autem naturale est, ut suffixum *kts* quod solis consonis, iisque asperis constat, respuat ante et post se quasvis consonas phonicas.

Si ante suffixum *kts* sit aliqua consona, et post suffixum sit

aliqua vocalis, inserenda est vocalis phonica *i* ante suffixum, quod proinde evadet *ikts*. Si autem post suffixum sit aliqua consona, quidquid sit ante ipsum sive consona sive vocalis, inserenda est inter consonas *k* et *ts* suffixi phonica *i*; quod etiam faciendum est, si suffixum sit ultima pars vocabuli; unde consequitur in istis casibus suffixum evadere *kits*. Haec ultima modificatio phonica est casus particularis legis phonicae generalis superius traditae.

Si attendas ad istas modificationes phonicas, quae comitantur insersionem suffixi *kts*, illico intelliges rationem variationum, quae accidunt declinationi verbi relativi. Sane si in verbo *unitkin-ni*, inseras suffixum *kts*, ante suffixum assumenda est phonica *i*, quia thema verbi desinit in consonam *n*, ac proinde forma relativa verbi *unitkin-ni*, erit *unitkin-i-kts-i*, et non *unitkin-kts-i*. Pariter intelliges ante suffixa *alla*, *ap*, *awas*, *is*, non esse inserendam, phonicam *n* si praecedat suffixum *kts*. Demum intelliges cur ante suffixa *kil* et *mil*, et in fine vocabuli, suffixum *kts* evadat *kits*, ut in formis *n'n-itkin-kits-kilni*, *un-itkin-kits-mil-ni*, *ku-itkin-kits*.

Alia superest consideranda modificatio quae accidit formae secundariae verbi relativi, ubi persona tum agens tum patiens sit tertia. Forma ordinaria in qua personae agens et patiens sunt tertia est *n-itkin-ikts-i*. Iuxta regulam, deberet in hac forma inseri litera *s* ante desinentiam, ad habendam formam secundariam; ac proinde forma secundaria esset *nitkin-kits-s-i*. Quoniam autem illa litera *s* confunditur cum consona praecedente, ideo scribitur *nitkin-kits-i*. In hac forma intelligitur cur suffixum *kts* mutatum sit in *kits*, quia post ipsum intelligenda est sequi consona *s*. Vides igitur formam secundariam respondentem formae ordinariae *nitkin-ikts-i*, esse substantialiter regularem. At forma secundaria participii, est irregularis: quia iuxta regulam, eiusmodi forma secundaria esset *kitkin-kits-s*=*kit-kin-kits*, quae non distingueretur a forma ordinaria; quapropter ad hanc distinctionem habendam, ksanka duplicaverunt vocalem *i* suffixi, et voluerunt formam secundariam participii esse *kitkin-kiits*, quin tamen mutaretur accentus in vocabulo, qui in utraque forma cadit in syllabam *kin*.

Transeamus ad variationes, quae accidunt declinationi verborum passivorum. Characteristica verborum passivorum est

suffixum *l*, quod ante se assumit phonicam *i*, si praecedat consona. Hinc habes verba *unitkinmu-l-ni*, et *unitkin-il-ni*. In eo differt suffixum *l* a suffixo *kts* verborum relativorum, quod suffixum *kts* praecedit characteristicas personarum, dum suffixum *l* sequitur illas, excepta characteristica *kil* quae, ut diximus, est ultimum omnium suffixorum immediate praecedens desinentiam declinationis. Ergo suffixum *l* inseritur post suffixum *alla* pluralitatis personae. In hac insertione accidit mutatio phonica; quia ante *l* assumitur particula *ti* et compositio suffixorum evadit *alla-ti-l*. Male sonabant auribus ksanka compositiones *alla-l*, vel *alla-il*, ac proinde voluerunt *alla-til*. Haec est unica variatio quae accidit declinationi verbi passivi sub forma ordinaria.

Duae sunt modificationes quae eidem verbo accidunt, quando declinatur sub forma secundaria. Prima respicit suffixum *mil*. Etenim suffixum formae secundariae loco *mil* est *m l-il*, exceptione facta pro modo imperativo qui retinet suffixum commune *mil*. Consule paradigma.

Alia modificatio fit in forma verbali tertiae personae, quae est *nitkin-il-ni*, quando induit formam secundariam. Ante omnia dicendum est formam de qua agimus non evadere secundariam mediante suffixo *s*, ut fit in aliis verbis, sed mediante suffixo *is*. Ratio est quia in verbo passivo nullum est periculum confundendi formam secundariam tertiae personae cum forma, in qua persona patiens sit secunda quae repraesentatur per suffixum *is;* quia istiusmodi forma nulla est in verbis passivis Aliud autem quod accidit in forma secundaria est hoc, quod phonica *i* ante suffixum *l* passivitatis, si qua est, semper omittitur. Ratio est quia eadem vocalis *i* assumitur ante suffixum *s* formae secundariae ut dictum est. Inde habes exempla

nitkin-l-is-ni, *nitkinmu-l-is ni*, *nitkinkits-l-is-ni*

In ultimo horum exemplorum suffixum *kts* mutatur in *kits* quia sequitur consona *l*.

Similiter ex verbis e. g. utsikat-il-ni, *adspicior;* umat-il-ni, *abiicior;* unik-il-ni, *edor*; utsgamal-il-ni, *adoror;* unulpaln-il-ni, *intelligor;* ukomnakalukunigalni, *recipio misericordiam* eruuntur formae secundariae *tsikat-l-is-ni*, *mat-l-is-ni* *nik-l-is-ni*, *tsgamal-l-is-ni*,

nulpalin-l-is-ni, komnakalukuniga-l-is-ni. Unde participia in forma secundaria *ktsikat-l-is;* kmat-l-is, *diabolus*; kik-l-is, *cibus;* ktsgamal-l-is, *oratio; kulpalin-l-is*; k'komnakalukuniga-l-is, *gratia.*

Demum facienda est animadversio aliqua. Vidimus suffixum *is* esse suffixum formae secundariae, quando persona regens est prima in numera plurali. In verbo passivo, res aliter se habet. Etenim suffixum 1ae et 2ae personae cuiusvis numeri sub forma secundaria, est suffixum *mil* adiecta particula *il.* Ratio huius singularitatis est, quia in verbo passivo suffixum formae secundariae non immediate adiacet particulae pluralitatis *alla*; cum inter particulam *alla* et suffixum formae secundariae intercedat characteristica *til* passivitatis.

DE DECLINATIONE VERBORUM SECUNDAE ET TERTIAE CLASSIS.

Quae hactenus de declinatione verborum sub forma primaria et secundaria dicta sunt, applicari debent verbis cuiusvis classis. Verum pro verbis secundae et tertiae classis aliqua immutanda sunt, de quibus in hoc articulo agetur. Incipimus a verbis secundae classis.

Nulla est difficultas circa declinationem verborum secundae classis, ea enim subiicitur legibus omnino generalibus, quae nullam patiuntur exceptionem. Istiusmodi leges sunt hae.

Thema verbi semper desinit in *a.*

Desinentia *ge* numeri singularis mutatur in *ni* in prima et secunda persona numeri pluralis.

Suffixum *alla* semper recipit ante se phonicam *g* loco phonicae *n;* ita ut omnia verba in prima persona numeri pluralis desinant in *a-g-alla-ni.*

Omnes formae sive verbales sive participiales cuiusvis modi, excepto modo imperativo, si non desinant in *ge* vel in *ni*, desinunt in *m.*

Formae imperativi modi obtinentur adiectis themati particulis *n* vel *kil.*

Quod attinet autem ad formam secundariam verborum secundae classis, ea est eadem ac verborum primae classis; quia in

forma secundaria verborum secundae classis desinentia *ge* mutatur in *i*, etiam in numero singulari.

Superfluum foret ea quae enuntiavimus exemplis illustrare: confer paradigma.

Quod attinet ad verba tertiae classis res est aliquantum salebrosa. Verba tertiae classis ulterius distinguere oportet in tres varietates prout desinunt in *tik*, *mik*, *lik*, de quibus seorsim agendum est. Circa consonas *t*, *m*, *l* quae praecedunt particulam *ik*, dicendum est relate ad *m*, eam semper esse phonicam; relate autem ad *t*, et *l* dicendum est eas pertinere ad thema verbi. Si vero ante consonam *l* sit vocalis *i*, dicendum est literas *i* et *l* efformare unicam particulam *il*, quae pertinet quidem ad thema, sed non ad radicem verbi. Eiusmodi enim particula habenda est ut particula verbificativa vel discriminativa. De particulis autem verbificativis vel discriminativis alibi sermo erit.

Verba quae desinunt in *tik* declinantur sine ulla exceptione iuxta regulas generales verborum desinentium in *i* et proprias, quas postremas hic subiicimus.

In singulari numero formae ordinariae carent desinentia declinationis.

Formae omnes ordinariae in plurali numero, et formae secundariae si persona sit prima vel secunda, etiam in numero singulari, assumunt desinentiam *ni*, si autem persona sit tertia, formae secundariae assumunt desinentiam *i*.

Suffixum *alla* pluralitatis primae personae nunquam ante se recipit phonicam *n*.

Si thema suscipiat aliquod suffixum, quodcumque sit, etiam extra declinationem, quod tamen non sit suffixum *s* vel *is* formae secundariae, abiicienda est litera *k* in quam thema desinit.

Ante suffixum *s* vel *is* formae secundariae litera *k* thematis retinetur, sed vocalis *i* ante *k* mutatur in *a*: e. g. *nitnilwi-tak-s-i*, *kitnilwi-tak-is*, loco *nitnilwitiksi*, *kitnilwitikis*.

Suffixum formae secundariae pro tertia persona non est *s* sed est *is*, quoties abiicitur desinentia *i* declinationis: e. g. *kitnilwitak-is*, loco *kitnilwitak-s*.

Secunda persona singularis modi imperativi addit themati

suffixum *m* mutata in *n* vocali *i* ante *k*, quae consona iuxta regulam generalem abiicitur. In secunda persona plurali adiicitur themati suffixum *kil*, reiecta iuxta regulam generalem litera *k* in quam desinit thema.

Pro exemplis consule paradigma.

Verba quae desinunt in *mik* sequuntur regulas verborum in *tik*, nisi obstet regula quae sequitur. Quoties suffixum *mik* post se recipit aliud quodlibet suffixum, mutatur litera *m* in *n*; nisi ante *m* praecedat litera *n*: si autem ante *m* praecedat *n*, litera *m* abiicitur: e. g. *tsganatkaga-mik*, *tsganatkaga-nak-s-i*; *nitkin-mik*, *nitkin-ak-s-i*.

In verbis desinentibus in *lik* distinguenda sunt illa quae desinunt in *il-ik* ab illis quae non desinunt in *il-ik*. Verba quae non desinunt in *il-ik* sequuntur regulas generales; sic ex verbo ukakl-ik *est meum nomen* habes formas *u-kakl-i-allani*, *kakl-ak-si*, *kakl-am*; pariter ex verbo uklilmumal-ik, *custodio me ipsum* habes formas *uklilmumal-i-allani*, *klilmumal-ak-si*, *klilmumal-am*.

Verba quae desinunt in *il-ik*, ex parte sequuntur regulas communes, ex parte propriis legibus diriguntur. Forma imperativa quae desinit in *am* subiacet legibus generalibus: e. g. ex verbo tsikat-il-ik, *quaerit equos*, prodit tsikat-il-am, *quaere equos*.

Reliquae formae, quae abiiciunt literam *k* suffixi *ik*, abiiciunt etiam literam *l* suffixi *il* e. g. utsikat-i-i-allani, *quaerimus equos*; ntsikat-i-i-kilni, *quaeritis equos*; loco *utsikat-il-i-allani*, *ntsikat-il-i-kilni*. Idem accidit si suffixum, vi cuius abiicitur litera *k*, non pertineat ad declinationem verbalem: e. g. ex verbo unitnmust-il-ik, *condemno me ipsum*, derivatur verbum unitnmust-i-i-mu-ni, *condemno me ipsum pro aliis*; quod verbum usurpamus quando dicimus Dñum Jesum tradidisse seipsum pro nobis.

Forma secundaria tertiae personae, abiicit suffixum *il*, sed non mutat suffixum *ik* in *ak*: e. g. *tsikat-ik-si*, loco *tsikat-il-ak-si*.

Placet hic exhibere veluti paradigma declinationis verborum tertiae classis, quoad illas tantum formas, quae modificationibus specialibus subiiciuntur. In paradigmate, praeter verba quae iam commemoravimus, invenies verba utsikatik, *adspicio me ipsum*, et unupgamik, *sum compos mei*.

tsikat-ik	utsikat-i-allani	ntsikat-i-kilni
kakl-ik	ukakl-i-allani	nkakl-i-kilni
nupga-m-ik	unupga-n-i-allani	n'nupga-n-i-kilni
nitkin-m-ik	unitkin-i-allani	n'nitkin-i-kilni
tsikat-il-ik	utsikat-i-i-allani	ntsikat-i-i-kilni

tsikat-ik	tsikat-ak-si	tsikat-am
kakl-ik	kakl-ak-si	kakl-am
nupga-m-ik	nupga-n-ak-si	upga-n-am
nitkin-m-ik	nitkin-ak-si	itkin-am
tsikat-il-ik	tsikat-ik-si	tsikat-il-am

CAPUT VI.

De Usu Formarum Declinationis Verbi

DE DESINENTIA DECLINATIONIS.

Hactenus consideravimus praecipue etymologiam formarum, iuxta quas verbum declinatur. In articulis quae sequuntur, vim significativam earundem formarum investigabimus, illas comparando cum formis respondentibus linguae latinae. Incipimus a desinentia declinationis.

Ut expeditius loquamur, appellabimus *productam* formam illam verbalem, quae habet desinentiam declinationis; et appellabimus *simplicem* illam formam, quae caret desinentia declinationis. Desinentiam declinationis appellamus syllabam finalem *i* vel *ni*, in quam desinunt formae verbales cuiusve classis, et syllabam *ge*, in quam desinunt formae verbales secundae classis in numero singulari. Litera *m*, quam verba huius classis assumunt post reiectam desinentiam *ge*, non est habenda ut desinentia declinationis, sed ut litera phonica.

Consideranti paradigma declinationis verborum facile apparebit, formas omnes participiales, et formas imperativi et subiunctivi modi esse omnes simplices; contra esse productas formas

indicativi modi et formam conditionatam, quae est ipsa forma praeteriti perfecti modi indicativi praeposita particula *gma*. Hinc statuenda est thesis. Formae productae differunt a formis simplicibus, in eo quod illae exprimunt mentis iudicium, haec autem non exprimunt mentis iudicium. Appellabimus affirmativas illas formas, quae exprimunt mentis iudicium sive sit affirmativum, sive sit negativum: unde consequitur nos habere tamquam synonymas appellationes *forma producta* et *forma affirmativa*.

Declaranda est thesis: omnes et solae formae productae sunt affirmativae. Ad hunc finem consideremus formas latinas, incipiendo a formis modi indicativi. Evidens est formas e. g. *amo, amabam, amavi, amaveram, amabo* omnes esse affirmativas, praedicant enim de me formam amoris sive praesentem sive praeteritam sive futuram. Formae *amarem, amavissem* subiunctivi modi sunt etiam formae affirmativae, licet affirmatio fiat sub aliqua conditione. Contra formae imperativae *ama*, formae subiunctivae *amem, amaverim*, formae infinitivae *amare, amavisse* etc. nullum mentis iudicium continent, ac proinde non sunt formae affirmativae.

Demum participia omnia cuiusvis modi nullum mentis iudicium efferunt; quia, spectata significatione, participia aequivalent nominibus sive substantivis sive adiectivis; nomina autem conceptum non iudicium mentis significant. Ergo concludimus, formas modi indicativi et formas conditionatas esse omnes et solas affirmativas. Atqui omnes et solae formae indicativae et conditionatae in lingua ksanka gaudent desinentia declinationis: ergo desinentia declinationis in lingua ksanka dat formis verbalibus vim affirmativam: quod erat probandum.

Animadversio hic facienda est ad evitandam confusionem idearum. Cum dicimus formas indicativas et conditionatas latinas continere mentis affirmationem, loquimur de formis verbalibus in se spectatis sine addito. Si enim eiusmodi formis praeponatur aliqua coniunctio vel adverbium vel pronomen, fieri potest, ut non amplius vim affirmativam retineant. Sane forma *amabo*, est indubie affirmativa; verum nullatenus affirmativa est forma conditionalis *si amabo*, vel forma participialis *qui amabo*. Verum nil simile locum habet in lingua ksanka, ubi si quid addatur formis

indicativis et conditionatis, non inde suam vim affirmativam eiusmodi formae amittent. Ipsam et enim particula *gma* quae praeponitur formae indicativae, non aliter modificat significationem formae affirmativae, nisi quatenus vi huius particulae affirmatio, quae erat absoluta, evadit affirmatio sub conditione.

Alia animadversio facienda est. Quando loquimur de formis affirmativis, intelligimus illas locutiones, quae per se et directe mentis iudicium exhibent, non illas quae mentis iudicium praesupponunt, illudque implicite continent, et veluti adsignificant. Sic e. g. locutio *Deus amari debet, quia est bonus*, continet unam tantum formalem affirmationem inclusam in verbo *debet*. Incisum autem *quia bonus est* non continet formaliter affirmationem, sed illam veluti praesupponit. Sane loco dicendi *quia bonus est*, posset dici *utpote bonus*, quae locutio nullam continet affirmationem formaliter. Hinc est quod ksanka nunquam construunt particulam causalem uk'kna, *quia* cum forma affirmativa, sed illam construunt semper cum forma participiali: dicunt enim uk'kna kisuk, *quia bonus;* nunquam vero dicunt *uk'kna sukni*. Idem dicito, de particula *pal* quoties aequivalet latino *quia, propterea quod*, etc. quae pariter construitur cum participio: e. g. mats utskomnakalukuniaganisni, pal kusahan, *nolo misereri tui, quia tu malus*, vel *propter tuam malitiam*.

Ex iis quae diximus profluit regula, quae est una ex fundamentalibus totius syntaxis in lingua ksanka. Regula ita enuntiari potest: non est usurpanda forma producta verbi, quoties locutio non continet formalem affirmationem: usurpanda autem est communiter forma producta verbi, in locutionibus affirmativis. In secunda parte huius regulae dictum est *communiter;* quia interdum ksanka utuntur forma participiali quae est forma simplex, licet locutio sit affirmativa. Hoc autem praesertim accidit, quando usurpantur verba *eundi* et *veniendi*: e. g. *tagas kulatsikam*, pro ulatsikage, *huc iterum reversus sum;* tag na kulawam, *tandem huc perveni*, loco *tag na ulawage*. Etiam in fine alicuius allocutionis, solent ksanka concludere dicendo: *kinupga, tagas kinupga*, quod significat: *demum didicisti, demum novisti, intellexisti*. Verum legitimus omnino erit usus formae productae, quoties vera et formalis affirmatio in-

tercedit; ita ut, si placeat, dices *tagas ulatsikage; tagas uwage, tagas n'nupgani, tagas n'nupgakilni.*

Ea quae tradita sunt non possunt, ut patet, applicari illis formis verborum tertiae classis, quae nunquam assumunt desinentiam declinationis. Quoties autem usurpatur aliqua ex eiusmodi formis, res de qua sermo est et contextus sermonis docebit, formam continere vel non continere affirmationem. Contextus pariter et materia sermonis tollet ambiguitatem, quae oriri posset ex formis aequivocis e. g. *utsganatkagamik*, quae significat *confessus sum*, et significat etiam *si confessus fuero.*

Ea quae tradita sunt circa desinentiam declinationis, non possunt applicari ad quamdam formam singularem verbi, de qua nondum locuti sumus. Haec forma, quam appellabimus formam (*n*), habet characteristicas participii, et simul desinentiam declinationis. De hac forma alibi sermo erit.

Nondum mentionem fecimus de speciali desinentia *ki* declinationis, quam verba quaedam assumunt. Verba desinentia in *ki* non constituunt peculiarem classem verborum. Etenim quaelibet verba cuiusvis classis, theoretice loquendo, assumere possunt desinentiam *ki*. Verba primae classis assumunt desinentiam *ki* simpliciter suscipiendo literam *k* ante desinentiam *i*, abiecta, si qua est ante *i*, phonica *n*. Verba autem secundae classis assumunt desinentiam *ki* mutando desinentiam *ge* in *ki*, assumpta praeterea ante *ki* phonica *m*, quam saepe ista verba assumunt post suum thema.

Verba mutant desinentiam ordinariam in *ki*, quando res significata per verbum, cadit sub oculos eorum qui loquuntur. Sic si vides aliquem natantem illumque indicas illi cum quo loqueris, dices tsikatin, kos nak'ki, *adspice, illic natat:* pariter si vides aliquem aliqua transeuntem, dices illi qui convertere potest oculos suos ad illum qui transit, kos kamki, *illac transit;* vel si sermo est de aliquo qui pervenit, dices kos ma lawakamki, *illuc iterum pervenit.* Verum si ea quae oculis tuis vidisti nunties e. g. illis qui non viderunt, quia domi manent, dices: *kos nakni, kos kage, kos ma lawakage.*

Cum desinentia *ki* significet praesentiam rei coram iis qui

colloquuntur, non potest abiici, quin eo ipso locutio cesset repraesentare rem ut praesentem. Proinde conservanda est desinentia *ki* in ipsis participiis, quoties per participia vult significari res quae praesens est. Imo debet conservari desinentia *ki* quando agitur de re quae non potest non esse praesens, quemadmodum est terra haec, quam pedibus calcamus. Hinc est quod ksanka, quando terram nominant, nomini *amak*, adiiciunt participium *nak'kaki*, quod est participium desinens in *ki* ex verbo sak'kani, *iacet*, dicuntque: nak'kaki amak, *terra quae coram nos iacet*. Simili modo intelligenda est locutio: tag na unausakaki, kaa ulakakna? *igitur cum hic commorer, quonam modo me geram?* ubi *unausakaki* est participium verbi *ukausakani*. Quoniam autem desinentia *ki* non abiicitur in participiis, consequitur regulam generalem quam tradidimus de desinentia declinationis non ex toto extendi ad desinentiam *ki*.

Desinentiam *ki* assumunt etiam illa nomina a verbis derivata, quae appellantur nomina (*y*); ut est e. g. nomen *Yakasinkinmiki*. Verum in istiusmodi nominibus desinentia *ki* nil prorsus significat; inservit enim solummodo ad distinguenda nomina (*y*) ab aliis vocabulis. De nominibus (*y*) alibi loquemur.

DE PRAETERITO PERFECTO MODI INDIC.

Inter omnes formas affirmativas simplicissima est forma praeteriti perfecti, ac proinde ut primitiva censenda est. Ea enim constat themate verbali, adiectis tantummodo characteristicis personarum et desinentia declinationis. Ratio autem logica, cur forma praeteriti perfecti sit primitiva repetenda est ex eo, quod eiusmodi forma primo usurpata fuerit non ad significandum tempus praeteritum, sed praecisione facta a quovis tempore. Forma autem, quae praescindit a quovis tempore, primitiva est; quia id quod primo mens percipit, est simplex convenientia vel repugnantia inter subiectum et praedicatum, quin cogitet de tempore sive praesenti sive praeterito sive futuro: tempus enim reflexione cognoscitur. Proinde forma verbalis, quam appellamus praeteritum perfectum, debuisset potius appellari forma sine tempore. Verum, quoniam haec eadem forma usurpatur etiam ad significandum tem-

pus praeteritum, ne nova nomina sine necessitate inducerentur, illa forma appellata est praeteritum perfectum.

Si quaeras autem, quonam pacto factum est, ut forma, quae per se, praescindit a tempore, usurpata fuerit pro tempore praeterito, ratio in promptu est. Sane quando indi ope reflexionis conceperunt tempus praesens, induxerunt novam formam, in qua diserte significaretur tempus praesens; idem dicito de tempore futuro. De praeterito autem minus solliciti fuerunt; quia ea quae magis nos afficiunt sunt praesentia et futura, cum praeterita non sint amplius in nostra potestate. Inductis autem tribus formis, una sine tempore, alia cum tempore praesenti, et tertia cum tempore futuro, vel inducenda fuisset nova forma significans tempus praeteritum, vel usurpanda fuisset, ad eiusmodi tempus significandum, una ex iam inductis formis. Hoc secundum elegerunt indi, et sepositis formis tempus praesens et futurum repraesentantibus, utpote ineptis ad repraesentandum tempus praeteritum, voluerunt hoc tempus repraesentari ab illa forma, quae a tempore praescindit. Similiter se gesserunt latini, dum statuerunt formam temporis praesentis usurpandam etiam, cum fit praecisio a tempore. Processus evolutionis magis naturalis est in lingua indica quam in latina. Linguae enim indicae non subierunt decursu temporis et progressu civilitatis illas profundas modificationes, quas subierunt excultorum populorum linguae, quae sunt opus magis reflectioni et arti tribuendum quam naturae. Concludamus igitur dum latini in sententiis, quae a tempore praescindunt, utuntur forma verbali temporis praesentis, contra indi utuntur communiter forma temporis praeteriti. Dixi communiter, quia non raro, ut suo loco videbimus, ksanka morem latinum sequuntur.

Ad resolvendam quaestionem, quando nam in sermone ksanka praescindant a tempore, esto tibi regula haec quae generalis est. Si praedicatum, quod per verbum significatur, est aliquid natura sua permanens, generatim praescindes a tempore, et uteris forma praeteriti perfecti, etiam in casu quod id quod praedicas hic et nunc conveniat subiecto. Sic locutiones latinas, *sum dux*, *est bonus*, *habet equum* vertes: *uninni nasukwin*, *sukni*, *nati kallagaltsin*. Pariter praescindes a tempore, si res, de qua sermo est, se habet ut illam

praedicas ex sua natura, vel sub quovis tempore sive praesenti sive praeterito sive futuro. Sic cum dicis e. g. homo non est brutum; Deus est iustus; multi sunt qui iverunt in Coelum; multi sunt qui ibunt in infernum, uteris praeterito perfecto ita: *aklsmaknik kainni ktukutskamna; napisini Yakasinkinmiki; yunakani k'kunam akilmiyits; yunakani ni ktsgalkunam kos yakilakalikwaitski.* Quoties vero praedicatum est forma aliqua per se transiens, ut est e. g. actus dormiendi, edendi, loquendi, etc. uteris forma verbali secundum tempus sive praeteritum, sive praesens, sive futurum ad quod illa actio refertur.

Si accidat autem ut, loquens de re praeterita, non satis appareat, te non praescindere a tempore, uteris adverbiis vel verbis adverbialibus, quae tempus praeteritum diserte significant. Eiusmodi sunt e g. pikak, *iam; iam pridem;* ko, *tunc;* wunikitni, *est longum tempus;* kawunikitni, *est breve tempus*; etc. His addes, si opportunum fuerit, particulas cumverbiales *skil* et *kakil* de quibus in sequenti paragrapho loquemur.

Praeter formam primitivam praeteriti perfecti, sunt duo aliae formae, quae appellari possunt praeteritum proximum. Istae formae derivantur ex primitiva, mediantibus praefixis *skil, kakil.* Si sermo sit de re praeterita quae intra diem accidit, usurpabis praefixum *skil;* si autem sermo sit de re quae ante paucos dies accidit, uteris praefixo *kakil*; imo poteris etiam usurpare ipsum praefixum *skil.* Sic si vis simpliciter dicere e. g. Petrum mortuum fuisse, vertes *nipni Piel;* si vis dicere illum iam mortuum ex aliquot horis, dices: *skilipni;* si vero mortuus sit ex aliquot diebus, dices *kakilipni.*

Particula *kakil* sub significatione praeteriti proximi frequenter usurpatur; at non minus frequenter usurpatur sub significatione plane diversa; est enim particula aequivoca. Alia significatio, quam habet particula *kakil*, est significatio adverbiorum, *ibi, tunc,* et praepositionis *in.* Interdum materia, circumstantiae et contextus sermonis ambiguitatem tollent. Si vero ambiguitas non tollatur ex ipso sermone, tolletur ope particularum verbo praeponendarum, quae sunt *pal, ists,* et interdum etiam *ma.* Etenim particulae *pal* et *ma* usurpantur quando particula *kakil*, significat

tempus praeteritum: dum particula *ists* usurpatur, quando particula *kakil* significat *ibi, tunc, iu*: e. g. pai kakilipni, *sane iam mortuus fuit*; ists kakilipni, *ibi omnino mortuus est*. De particulis *pal, ma*, alibi sermo erit: de particula *ists* satis superius dictum est.

DE PARTICIPIO IN GENERE

ET DE PARTICIPIO PRAETERITI PERFECTI IND.

In quodam articulo sub *Capite V* diximus participium grammatice spectatum modo usurpari ut verbum, modo usurpari ut nomen. In hoc articulo considerabimus participium ksanka, quatenus verbi munere fungitur, ac trademus formulas grammaticales verbales latinas, quae participio ksanka aequivalent. Directe loquemur de participio praeteriti perfecti; attamen plura, quae de hoc participio dicentur, applicari poterunt omnibus participiis cuiusvis temporis ac modi. Si quae autem horum participiorum propria sint, ea suis locis explicabuntur.

Praeter formulas latinas participiales, plures sunt formulae verbales, quae uni participio ksanka aequivalent. Generatim loquendo participium ksanka cuisvis modi ac temporis aequivalet formae verbali latinae, praeposito pronomine relativo *qui, quae, quod*. *Exemplum 1.* Nupskilyitwuni kilu, *adhuc decem sunt qui absunt*: ubi vides participium *kilu*, ex verbo uluni, *absum*, verti per latinum *qui absunt*.

Exemplum 2. Ni kaminuklus sitis ists ninni kangali, *ille cui album est coopertorium eius est meus filius*. In hoc exemplo sensus vocabuli sitis, *coopertorium eius* et ninni kangali, *est meus filius*, clarus omnino est, et intelligitur sermo versari circa coopertorium filii illius qui loquitur. Verum interpretatio formulae *ni kaminuklus* ubi *ni* est pronomen demonstrativum *ille, illud*, et *kaminuklus* est participium verbi naminukluni, *est albus, album*, incerta est pro iis qui linguam ksanka ignorant. Etenim, absolute loquendo, possent fieri quatuor hypotheses; vel pronomen et participium ambo referuntur ad coopertorium, vel ambo referuntur ad personam, vel pronomen refertur ad coopertorium et participium ad personam, vel vicissim pronomen refertur ad personam et participium ad co-

opertorium. In prima hypothesi sensus formulae *ni kaminuklus* esset *ille qui albus est;* in secunda hypotesi sensus esset *illud* (*coopertorium*) *quod album est;* in tertia hypothesi sensus esset *illud* (*coopertorium illius*) *qui albus est;* in quarta demum hypothesi sensus esset *ille cui album est.* Atqui primi duo sensus immediate excluduntur, ex eo quod pronomen et participium non concordant in forma, cum pronomen sit in forma ordinaria et participium in secundaria. Suo enim loco demonstrabimus, pronomen et participium non posse referri ad eamdem rem, si discordent in forma. Tertius vero sensus per se est adeo contortus, ut nemo de illo cogitaret. Quartus superest sensus qui per solam exclusionem intelligeretur. Verum iste sensus intelligitur etiam, quia forma secundaria participii *kaminuklus* in 3a persona et praesentia nominis *sitis*, quod est nomen relativum pariter in tertia persona, significat, ut suo loco videbimus, participium *kaminuklus* praedicari de re significata per nomen relativum *sitis*, et praedicationem fieri in ordine ad personam quae possidet rem, id est in ordine ad personam cuius est coopertorium. Proinde *kaminuklus* verti debet vel per verbum *sum* cum dativo: *cui est album*, vel per verbum *habeo: qui habet album.* Unde vides in exemplo allato participium *kaminuklus* respondere verbo latino *est album* praeposito pronomine relativo *cui;* licet locutio *ni kaminuklus sitis* posset etiam ita verti: *ille qui habet album coopertorium.*

Exemplum 3. Kainni k'kikul nis kuupga, ninsi akulakis Jesu Cli *non est panis illud quod video, est Corpus Xti.* Etiam in hoc exemplo participium *kuupga* non concordat in forma cum pronomine *nis;* ac proinde pronomen *nis* non repraesentat personam quae videt, sed rem quam persona videt. Consequenter participium *kuupga* vertendum est per verbum *video*, praeposito non relativo *qui* sed relativo *quod.*

Exemplum 4. At itkinin a'kilkakukpu, lkapskakaps kitkin soiapi, *sare fac sepem* (*agri*), *sit eo modo quo faciunt americani.* In hoc exemplo participium *kitkin* vertitur per *quo faciunt.* Pronomen relativum assumit casum ablativum vi verbi quod praecedit participium. Verbum enim lkapskakaps, *sit eo modo*, exigit ut participium *kitkin* vertatur *quo faciunt*, et non *qui faciunt.*

Exemplum 5. Yunakani kuikul, *multoties est quod bibi.* Hoc exemplum per se est ambiguum. Posset enim significare *multa sunt* (e. g. *vina*) *quae bibi*, vel *pluries est quod bibi*. Circumstantiae, et contextus sermonis ambiguitatem tollent. In utroque tamen casu participium *kuikul* vertitur per verbum praeposito pronomine relativo; *quae bibi*, *quod bibi*.

Exemplum 6. Yunakani nas kuupga, *multi sunt illi quos video.* In hac locutione nulla potest esse ambiguitas; quia participium *kuupga* non concordat in forma cum pronomine *nas;* proinde participium repraesentat personam quae videt, pronomen repraesentat rem quae est obiectum visionis. Consequenter participium *kuupga* vertendum est *quos vidi.*

In allatis exemplis usi sumus participiis praeteriti perfecti modi indicativi. Verum similia omnino essent exempla cuiusvis participii, cuiusvis temporis ac modi.

Participium ksanka interdum aequivalet infinitivo latino. Exempla. Unupgani kinsa'anilwi, *novi te iratum fuisse.* Ukankitsitmilni kiip Jesu Kli, *credo mortuum esse I. C.* Nupgani pal kisuks kapis kapsins, *vidit esse bona omnia.* In istis exemplis habes kinsa'anilwi, *te iratum fuisse;* kiip, *mortuum esse;* kisuks, *esse bona.* Esto exemplum participii in tempore futuro. Uyuk'kilwinallani kutsgalukwakanalla ko akilmiyit; *speramus nos aliquid lucraturos esse in Coelo*; ubi participium *kutsgalukwakanalla* vertitur per infinitivum *nos lucraturos esse.*

Ex iis quae diximus perperam quis concluderet, formam infinitivam latinam posse semper verti per participium commune ksanka. Interdum enim infinitivum latinum verti debet per quandam formam participialem sui generis quam vocamus (*n*), de qua suo loco sermo erit.

Participium ksanka praeteriti perfecti modi indicativi, aequivalet omnibus formis modi subiunctivi latini praeposita particula *cum* excepta forma futuri, et exceptis casibus in quibus sensus locutionis est aliquo modo de re futura vel conditionali. *Exemplum 1.* Nas ksausaka kamkokukulkatwumlat, mats ntslaalwatskilni, *cum hic commoretur presbyter non iterum ludo indulgebitis.* In hoc exemplo participium *ksausaka* ex verbo usausakani, *vivo alicubi, sum alicubi, commoror*, significat *cum commoretur.*

Exemplum 2. K'kilkinap kama, pal tag unakani; *cum conceperit me mater mea, inde quidem natus sum.* In hoc exemplo participium *k'kilkinap* ex verbo ukilkinni, *concipio*, significat *cum conceperit me.*

Exemplum 3. Nas ktsinam, kakililni: mats ntskaknani nlagam ko ntsyakaugamki, *cum proficisceretur, dictum illi fuit: non ita te geres, quando perveneris illuc quo pervenies.* In hoc exemplo participium *ktsinam* potest verti *cum proficisceretur.* Nasukwin mika kwilka, nupgani kipnamis, *dux quamvis esset magnus, incidit in mortem.* In hoc exemplo *kwilka* vertitur per *esset magnus*, et *mika*, per *quamvis;* attamen participium *kwilka* posset verti simpliciter per *magnus: dux quamvis magnus, etc.*

Exemplum 4, Nis ma k'kakilil mats lkakna, pamik kaknani, *cum quidem ipsi dictum fuisset ne ita se gereret, nihilominus ita se gessit.* In hoc exemplo participium *k'kakilil* ex verbo ukwakililni, *mihi dictum est,* vertitur per subiunctivum *cum illi dictum fuisset.*

Ne putes ex iis quae diximus, haberi in lingua ksanka veluti confusionem modi subiunctivi cum modo indicativo. Eiusmodi confusio potius habet locum in lingua latina. Etenim formae subiunctivae latinae sine addito habent suum sensum, addita vero particula *cum* habent sensum plane diversum. Forma e. g. *amem* sine addito est forma imperativa, vel optativa, vel etiam conditionalis, et fere congruit in significatione cum forma subiunctiva ksanka, ut suo loco videbimus. Contra formula *cum amem* spectata significatione est per se formula participialis aequivalens formulae *qui amo*, vel *ego amans;* sunt enim aequipollentes locutiones istae: *cum amem Deum, possidebo vitam aeternam: qui amo Deum, possidebo vitam aeternam: ego amans Deum possidebo vitam aeternam;* ad summum particula *cum* in prima locutione explicitius nexum adsignificat inter amorem Dei et possessionem vitae aeternae, qui tamen nexus etiam in aliis locutionibus implicite significatur.

Loquentes de formis subiunctivis latinis aequivalentibus participio indicativo ksanka exclusimus formam futuri temporis, e. g. *cum amavero.* Ratio est, quia hanc formam ksanka habent ut formam conditionalem *si amavero*, quod suo loco notabitur. Attamen participium ksanka futuri temporis aequivalet interdum formis latinis subiunctivi modi praeposita particula cum: e. g. na kints-

galtsinam, ntsganatkugamik, sukni, *cum proficiscaris, vel cum sis abiturus, si confitearis, bonum est;* ubi vides participium *kintsgaltsinam* aequivalere formulis subiunctivis *cum proficiscaris, cum sis abiturus.*

Participium ksanka praepositis particulis demonstrativis, saepe aequivalet verbo latino praeposito adverbio *quando.* Etiam in hoc casu excipienda sunt verba futuri temporis, quia locutiones e. g. *quando faciam, quando fecero,* ksanka vertunt per formam conditionalem. Confer schema declinationis verbi *ukomnini.*

Exemplum 1. Ko ma kutsinam nis kakanklap kaswu, kulagam, ukausakani naimakwutni, *quando profectus sum, quando vocavit me amicus meus, illuc perveni, commoratus sum, fuerunt duo anni.* In hoc exemplo vides formulas *ko kutsinam, nis kakanklap* verti per adverbium *quando* et verba *profectus sum, vocavit me.* In istis et similibus casibus particulae demonstrativae *ko, ni* adverbialiter usurpantur, et possunt intelligi significare *quando.* Animadvertendum tamen est eiusmodi particulas induere formam secundariam, si participium cui praeponuntur sit in tertia persona, ut patet in exemplo *nis kakanklap.*

Exemplum 2. Ni kutsakuna, ksanka, sanla wanaknanamni, *quando eram parvulus, kootenai, black-feet ad invicem pugnabant.* Participium *kutsakuna* est participium verbi utsakunani, *parvus sum.* In hoc exemplo vides participium ksanka praeteriti perfecti melius verti per praeteritum imperfectum latinum quam per praeteritum. Posses vertere particulam *ni* per *dum,* ut per se patet. Attamen ne putes locutiones omnes latinas quae resultant ex praeterito imperfecto et adverbio *quando* posse verti per participium ksanka praeteriti perfecti. Etenim interdum eiusmodi locutiones latinae aequivalent locutionibus conditionalibus; ut cum e. g. dico *quando inveniebam aliquam rem, illam sumebam,* quae locutio aequivalet huic alteri *si inveniebam aliquam rem, illam sumebam.* In istis casibus usurpanda est forma conditionalis ksanka, de qua infra sermo erit.

Ex dictis facile intelligis ablativum absolutum latinum interdum verti posse per participium ksanka e. g. Nis kupskilin wunmanamus titunis, nsukni, *vivente patre tuo bonus eras.* Nis ksakilin nasukwin Pons Pilat, *imperante Pontio Pilato.* Participium

kupskilin oritur ex verbo un-upskil-in-ni, *adhuc sum* composito ex verbo *uninni* et particula upskil, *adhuc*. Participium *ksakilin* est ex verbo *u-sakil-in-ni*, quod componitur ex verbo *uninni* et particula continuationis *sakil*. Si autem ablativum absolutum latinum verti posset per formulam conditionalem, illud verti nequit per participium ksanka, ut cum dicis e. g. *praesente presbytero ne administres baptismum;* ubi *praesente praesbytero* aequivalet *si praesens sit presbyter*. Verum si ita loquar, ut expresse vel tacite praesupponam presbyterum abesse, utar participio praeteriti perfecti, licet loquar de re futura et conditionali, quia in casu non conditionate sed absolute loquor. Sane recte ita loquor: ponamus presbyterum abesse, fas est tibi administrare baptismum morientibus, *cum presbyter absit;* at inepte loquerer si dicerem: ponamus presbyterum abesse, fas est tibi administrare baptismum, *si presbyter absit;* quia cum iam loquar sub hypothesi, nulla ratio est cur iterum de hypotesi mentionem faciam.

Formulae latinae compositae ex verbo et particulis caussalibus *quia*, *quoniam* et similibus vertuntur per participium ksanka. Recole ea quae diximus loquentes de forma affirmativa verborum.

In locutionibus affirmantibus vel imperantibus quae contineant verbum aliquod qualificativum, verbum principale induit generatim loquendo formam participialem, verbum vero qualificativum sive adiectivale sive adverbiale induit formam affirmativam vel imperantem. Exempla. Yunakani lkamu kiip, *multi pueri mortui sunt*: suknı na kutsga, *bene locutus sum:* kalsani nis kipil, *tres occidit:* lyunaka kintsgalalakgo, *multos punias;* ad literam *multi sint quos punies.*

Interdum tamen tum verbum principale tum qualificativum sunt ambo affirmantia vel ambo imperantia, praesertim quando verbum principale praecedit verbum qualificativum. Exempla. Ko ukausakani naimakwutni, *ibi commoratus sum, fuerunt duo anni;* tsukwatin lyunaka, *sume illa sint multa*, quae locutiones nil aliud sunt nisi locutiones latinae *tres annos ibi commoratus sum; sume multa.*

Particula *sl*, quae est characteristica temporis praesentis, habenda est veluti adverbium, quod determinat ad tempus praesens formam praeteriti perfecti modi indicativi, quae per se praescindit a tempore. Quod dicitur de particula *sl* debet aequo iure dici de particulis *ts* et *tsgal*, quae formam praeteriti perfecti determinant ad tempus futurum. Particula *sl* non est exclusive propria formarum modi indicativi sub tempore praesenti; assumitur enim etiam a formis futuri temporis et a formis modi imperativi et subiunctivi, ut suo loco videbimus. Quod confirmat quod dicebamus, id est particulam *sl* habendam esse ut adverbium temporis.

Regula est generalis: quoties praedicatum hic et nunc convenit subiecto, et significat formam aliquam, quae per se non concipitur ut permanens sed ut transiens, usurpandum est praesens indicativi modi.

Usurpandum pariter est praesens indicativi modi quoties id quod praedicatur est forma per se permanens sed in statu imperfecto, id est in fieri: e. g. usilkaptilwilkani, *sum evadens magnus* (*sto diventando grande*). Praeteritum perfectum huius et similium verborum significat formam perfectam in facto esse: ukaptilwilkani, *evasi magnus*, vel *sum magnus*.

Usurpatur praesens modi indicativi, si sermo sit de re transeunte, quae licet actu non fit, tamen fit habitualiter: e. g. uslikni akulak klayikwumiyit, *edo carnem in die veneris*. Non est confundenda forma transiens de qua loquimur, quae veluti habitualiter reproducitur et cessat, cum forma permanente quae habitum vel consuetudinem significat eliciendi actus transeuntes. In hoc casu usurpandum non est praesens indicativi, sed praeteritum perfectum verbi una cum suffixo *awi*, quod consuetudinem significat: e. g. un-ai-n-awi-ni, *sum deditus furto*, ex verbo un-ai-ni, *furor*. Attamen optime dicis: akanmiyit uslaini, *quotidie furor*.

Usurpatur forma verbalis temporis praesentis in pluribus casibus, in quibus latini usurpant praeteritum imperfectum. Ksanka carent propria forma praeteriti imperfecti modi indicativi, cuius loco modo utuntur praeterito perfecto, modo utuntur forma

conditionali, modo utuntur tempore praesenti indicativi modi. Quoties loquimur de re praeterita, sed veluti nosmet ipsos transferendo ad illud tempus de quo loquimur, rem exhibemus ut praesentem, latini communiter utuntur praeterito imperfecto verbi, ksanka vero utuntur tempore praesenti. Exempla. Niskit siltsgamalni aklsmaknik, numitsisi yakiltsgamalki, tuga nukwilipni, *ante annum elapsum, orabant indi, fracta fuit eorum ecclesia, fere omnes perierunt:* ubi vides praesens *siltsgamalni*, verti per praeteritum imperfectum latinum *orabant.* Kalin slikni, niplapsi numas, *erant in actu edendi, occisi fuerunt a fulgure.*

Usurpatur praesens indicativi, si id quod praedicatur per verbum sit quidem aliquid permanens, at non consideratur in se ipso, sed consideratur prouti successive se manifestat alicui. Quae manifestatio rei, cum sit aliquid transiens, si concipiatur veluti hic et nunc fieri, significabitur iuxta regulam per verbum sub tempore praesenti. Sic usurpatur tempus praesens cum describuntur accidentia alicuius loci, illaque veluti sub oculis audientium ponuntur, perinde ac si actu transirent per illum locum e. g. aknukliit, yisuganukliitki, tag nukunil-sil-kakganusukpuni, yisuganusukpunki, tag sil-kakgaltsiliitni, yisugaltsiliitki, tag skik-nukni, yisugaknukwi, tag swukliitni: *pratum, terminus prati, inde est pulcrum nemus, terminus pulcri nemoris, inde est nemus horridum, terminus horridi nemoris, inde est lacus, terminus laci, inde est catena montium.* In hoc exemplo vides descriptionem loci incipere a nomine *aknukliit* et desinere verbo nullius temporis *swukliitni.* Accidentia autem quae inter principium et finem loci veluti sese evolvunt successive coram oculis, exprimuntur per totidem verba sub tempore praesenti, non excluso verbo *skiknukni*, ubi loco particulae *sil* habetur particula *skikil*, quam videbimus aequivalere particulae *sil.*

Quando aliquid accidit, vel aliquid obviam fit, et qui loquitur vult indicare signanter ipsum occursum rei, quin attendat ad tempus in quo res accidit, usurpabit formam praesentis temporis. Quod si non ea est mens loquentis, usurpabit formam illius temporis in quo reapse res accidit. Eiusmodi usus praesentis temporis potissimum locum habet cum verbis sillagage, *pervenit*, et sillaganggoni, *incidit in, accidit.* Hac ratione loquendi etiam nos utimur,

quando loquentes de re praeterita illam exhibemus, perinde ac si hic et nunc accideret; ut cum loquentes e. g. de subitanea morte alicuius, quae iampridem accidit dicimus: dum edebat apoplexia *corripitur* et illico *moritur*. Exempla. Loquentes de Cto Dño, qui anno tricesimo aetatis suae incepit suam praedicationem, ksanka dicunt: tagas sillagangoni, nis k'kalwinataps Tituis, ktsgalk'kats nas aklsmakniks: *demum incidit (Jesus Christus) in illud quod de ipso decretum fuerat a Patre suo (id est) ut discurreret inter homines*. Kakaswunikit kiip titunis? *quando nam mortuus est pater tuus?* nis kwangams amaks slipni: *dum tremebat terra moritur*. Nupganamni, nitsnikitktsapsi, silkanakutslaingonaksi, silgatknukni; obviam facti fuerunt, in bonam fortunam inciderunt, cadit transversaliter arbor, salvantur. In hoc exemplo supponuntur duo obviam fieri ad ripam fluminis, quod traiicere non potuissent, nisi casu arbor cecidisset. Verbum inversum nitsnikitktsapni, *incido in bonam fortunam* habet eamdem radicem ac verbum kanikitni, *ita accidit*, et verbum wunikitni, *est longum tempus*, et plura alia verba inversa ut suk-nikitnalapni, *accidit mihi delectabile*, et ipsum nomen *Ak-nikit*, quo appellabatur a ksanka deus beneficus, dum deus maleficus appellabatur nomine diminutivo *Aknikitnana*. Videntur enim ksanka olim professos fuisse manichaeismum.

Usurpatur praesens indicativi cum verbis numeralibus temporis, quoties significari vult tractus temporis praeteriti quod pertingit usque ad tempus praesens. Haec constructio verborum numeralium sedulo animadvertenda est. Exempla. Kslaksanmakwut kintsganatkagamik? *quot nam abhinc annis confessus es?* silkalsanmakwutni kutsganatkagamik, *tribus abhinc annis confessus sum*. Si interrogatio fieret per praeteritum indicativi, significaretur intervallum temporis ex toto praeteriti, quod videlicet non terminaretur ad tempus praesens, sed ad praeteritum. Kaksanmakwut kinkausasaka ko? *quot nam annos commoratus es illic?* ukausakani kalsanmakwutni, *commoratus sum tres annos*. Kalsanmiyitni kusa'anlgoni, silkalsanmiyitni kulagatknuk, *triduum aegrotus fui*, *sunt nunc tres dies, ex quibus convalui*, vel *tribus abhinc diebus convalui*. Constructio verborum numeralium temporis applicanda est verbo generali wunikitni, *est longum tempus*.

Eadem constructio applicanda est cuilibet verbo, si ipsi adiaceat adverbium temporis *pikak*. Pikak usilsa'anlgonini, *ex longo tempore aegroto:* pikaks siltsinage, *ex longo tempore abiit.* Pikaks sausakani na. tagas latsinage, *diu moratus est hic demum abiit.* Adverbium *pikak* plura significat. de eo loquemur suo loco.

Praeter particulam *sil* sunt aliae particulae adverbiales. quae tempus praesens significant. eaeque sunt *sakil*, *upsakil*, *skikil*.

Particula *sakil* est particula continuationis. quae praecipue usurpatur, quando sine intermissione pluries ponitur aliquis actus sive ab eodem sive a diversis. qui per modum unius considerantur. Exempla sakilkukwaklawasni nasukwin, *sine intermissione nos adhortatur dux:* sakilupkausilkulni, *sine intermissione attingit aquam;* hoc dicitur non de illo qui semel, sed de illo qui pluries aquam attingit: sakiltsganamni ko akitlanam. sakilitkinilni. *colloquuntur in illa domo, fit bonum;* continuatio in hoc exemplo in eo est quod sine intermissione modo unus modo alius sermones miscet, et aliquod bonum quod faciendum sit proponit: sakilalwatsnamni, *sine intermissione luditur.* Particula *sakil* tempus praesens significat quemadmodum particula *sil.* Usurpatur tamen etiam pro praeterito imperfecto, quemamodum fit de particula *sil*: e. g. *nis ksakilin wunmanamus katitu, quando* vel *dum vivebat pater meus.* Continuatio in vita est de ipsa ratione vitae; non enim possibile est, ut actus vitae sit unus tantum, qui uno instanti temporis contineatur; vita enim necessario constat pluribus successivis actibus vitalibus.

Particula *upsakil* emphatice tempus praesens repraesentat: e g. upsakiltsgamalni, *sum hic et nunc actu orans*, (*sto attualmente pregando*).

Particula *skikil*, fere idem significat ac particula *sil:* kalin skikilikni, kalin ukaugaltnagamni. unalkalikni, *actu edebant. illuc ingressus sum, manducavi cum aliis.*

DE PRAETERITO PLUSQUAM PERFECTO.

Nulla est in lingua ksanka forma propria praeteriti plusquam perfecti. Verum forma praeteriti perfecti, una cum quibusdam adverbiis vel particulis cumverbialibus, usurpari commode potest pro forma praeteriti plusquam perfecti.

Adverbium *taga*, quod inter alia significat etiam *deinde, demum*, evidenter usurpari potest ad distinguendum duo tempora, quorum unum alteri succedat: unde si utrumque tempus sit praeteritum, primum erit plusquam perfectum relate ad secundum. Idem dicito de adverbiis, pikak, *iam, iampridem:* wunikitni, *est longum tempus*, et similibus. Tsinage Piel, tagas wage Pol, *abiit Petrus: demum pervenit huc Paulus*, seu quod idem est, *abiverat Petrus quando pervenit Paulus*.

Particula praefixa *ul* potest fere semper usurpari cum praeterito perfecto loco praeteriti plusquam perfecti. Particula *ul* per se significat rem expressam per verbum esse perfectam, absolutam, completam. Unultsgamalni, *absolvi preces meas*, unulikni, *absolvi comestionem meam*. Posset etiam dici unulitkinni, *perfeci aliquod opus;* verum ksanka praeferunt huic verbo verbum *unukwinn* quod est verbum *un-ul-kinni* contractum. Hinc intelligis particulam *ul* commode verti posse per adverbium *postquam;* unde locutio e. g. unikni, kuulik utsgani, kuultsga ukomnini: *edi, postquam ederam locutus sum, postquam locutus fueram dormivi*. Particula *ul*, ut patet, posset afficere etiam tempus futurum e. g. unultsgamal utslatsinage, *postquam oravero abibo*. Unde perperam particula *ul* diceretur characteristica praeteriti plusquam perfecti, ut quae ad omne tempus se porrigat.

Quamvis particula *ul* possit interdum verti per adverbium *postquam*, non posset inde concludi adverbium *postquam* posse semper verti per *ul*. Particula enim *ul* non potest usurpari, nisi quando sermo est de aliqua re, quae concipi potest ut imperfecta quaeque perficiatur, vel de re quae habet initium, medium et finem, de qua proinde dici possit esse completam. Hinc non esset saltem accurata locutio e. g. unulip utsitnmustilktsilni, *postquam mortuus fuero iudicabor*. Ratio est quia mors non est aliquid, quod de imperfecto progredi possit ad perfectum, vel in quo sit principium, medium et finis, cum in instanti accidat. Similiter si aliquis alium interroget utrum iam confessus sit, non omnino recte usurparet particulam *ul*, et diceret *kinultsganatkagamik?* quia in casu confessio non consideratur ut habens principium, medium et finem, sed ut actus unus qui veluti in uno instanti moraliter ponitur. Contra si aliquis dum actu peragit suam confessionem, ab alio ad aliquod urgens negotium

vocetur, ipsi optime respondebit: unultsganatkagamik, *postquam absolvero confessionem meam;* quia in casu confessio est et consideratur ut imperfecta. Pariter si aliquis nondum confessus sit, et velit dicere se aliquid facturum postquam confessus fuerit, dicet: *unultsganatkagamik;* quia etiam in casu consideratur confessio, ut aliquid quod tractu temporis perficiendum est. In primo ex modo allatis exemplis loco *unulip*, dicendum est *ulaip*, id est usurpanda est particula *la* loco particulae *ul;* quod intelligetur ex iis quae in paragrapho sequenti dicturi sumus.

Particula *ul* directe non significat desitionem rei, sed solummodo in obliquo desitio rei adsignificatur, eo ipso quod res dicitur absoluta. Ad directe significandum, rem desiisse, exhaustam, vel ablatam esse, usurpatur particula *la* inserta in verbo negativo. Etenim particula *la*, quae per se significat *iterum*, si inseratur in verbo negativo, significat *amplius:* e. g. la-ka-inni, *amplius non est;* la-ka-sa'anlgonini, *non amplius aegrotat*, id est *convaluit;* la-luni, *exhaustum est, consummatum est.* In hoc ultimo verbo *laluni* negatio est inclusa in ipso verbo *luni*, et verbum *la-luni* optime usurpatur ad significandum e. g. victualia consumpta esse. Iam vero nil prohibet quominus verbum unipni, *morior* consideretur ut verbum negativum aequivalens verbo *non vivo;* unde cum dico *ula-ipni* perinde est ac si dicerem *non amplius vivo*, seu quod idem est *iam mortuus sum.* Hinc intelligitur cur *ulaip* significet *quando amplius non ero*, seu *postquam mortuus fuero.*

Praeter particulam *ul*, potest usurpari in aliquo casu particula *kap, kapil* ad praeteritum plusquam perfectum adsignificandum. Particula *kap* vel *kapil* in compositione habet vim pronominis *totum* vel adverbiorum *ex integro, totaliter* et similium. Vides autem perinde esse, si dicas *opus perfeci* vel *absolvi*, ac si dicas *opus ex toto*, vel *ex integro feci.* Esto exempla: ex verbo unitkinni, *feci*, habes ukapilitkinni, *ex integro feci;* ex verbo un-awasgomik, *cano*, habes u-kap-wasgomik, *ex integro cecini;* ex verbo unamatiktsi, *do alicui*, habes u-kap-amatiktsisni, *do tibi totum.*

DE FUTURO INDICATIVI.

Forma ksanka futuri temporis modi indicativi non solum si-

gnificat illud idem, quod significat similis forma latina, sed etiam aequivalet saepe locutionibus latinis, quae constant ex verbo infinitivo vel subiunctivo, et verbis *volo, iubeo, debeo, necesse est*, et similibus. Utsgalkomnini, *volo dormire;* ntskaknani, *iubeo ita te gerere;* utsgaltsgamalnallani, *debemus orare*. Istiusmodi usurpatio futuri temporis occurrit plus minusve etiam in aliis linguis. Verum ne putes nullos alios suppetere modos loquendi, quibus sive voluntatem sive imperium sive necessitatem ksanka significent. Ksanka enim non carent verbo *volo*, quod est *ukalwini*. Praeterea verbum ukwakilni, *dico alicui*, significat etiam *iubeo*. Quod attinet vero ad verbum *debeo*, et ad vocabula *necesse*, *necessarium*, ea dicenda sunt desiderari in lingua ksanka, et suppleri vel futuro indicativi, vel quibusdam circumlocutionibus, quae rei necessitatem significant; inter quas potissima est locutio conditionalis negativa.

Duae sunt characteristicae futuri temporis *ts* et *tsgal*. Olim fortasse discrimen intercedebat inter utramque particulam: at in praesenti, eae nullo discrimine usurpantur. Afferam exemplum in quo luculenter apparebit usus promiscuus harum particularum. Olim, ut solebam, petii a quodam indo, ut aliquid pro suo lubitu diceret mihi scripturo quidquid ex eius ore sponte proditurum fuisset. Inter alia dixit, se aliquo profecturum esse, et subnexuit: tsgal-asni natanik kutslawam, *post duos menses iterum huc perveniam*. Deinde dixit, se iterum alio profecturum ac subiunxit: ts-asni natanik ktslakayakawu utslatsikage, *post duos menses cum dimidio huc revertar*. Ubi vides hominem de sua prima profectione locutum usurpasse futurum *tsgalasni*, dum loquens de sua secunda profectione, usurpavit futurum *tsasni*.

Verum si aliquis auctoritate pollens utatur forma futuri temporis ad suum imperium fortiter exprimendum, particulae *tsgal* praeferet particulam *ts*. Quod fortasse indicium est olim particulam *tsgal* fuisse characteristicam futurorum lenium, et *ts* fortium.

In aliis casibus, in quibus alterutra ex particulis *ts* et *tsgal* alteri praefertur, dicendum est id minime fieri, perinde quasi particulae istae diversa significent, sed vel propter phoniam, quatenus quaedam verba futura facilius pronuntiantur cum particula *tsgal*, quam cum particula *ts*, vel quia ex communi usu accidit, ut

cum quibusdam verbis constanter usurpetur alterutra ex illis particulis, altera reiecta, ac proinde auribus assuetis uni particulae altera particula minus congruat.

Si una cum characteristica futuri temporis inseratur in verbo characteristica *sl* vel *sil* temporis praesentis, prodibit futurum proximum seu imminens. Hoc futurum in paradigmate latine vertimus per participium futurum verbi praeeunte verbo *sum;* licet potuisset efficacius verti interposito inter verbum *sum* et participium adverbio *iam:* utsgalsilkomnini, *sum iam iam dormiturus.* Exempla: nupganamni, tsilyangoni, nitsnikitktsapsi kilwa nipkus, silgatknukni: *obviam facti sunt, erant iam inedia morituri, cum occiderint ursum salvantur:* utsgalkatsinage, kalin utsgalsiltsgamalni; *nolo abire, in eo iam sum ut orem.*

In futuro proximo particula significans tempus praesens sequitur particulam quae significat tempus futurum; interdum tamen praecit e. g. k-sil-tsgal-ip, *moribundus,* pro *ktsgalsilip.*

Saepe futurum simplex, id est sine particula, quae tempus praesens repraesentat, usurpatur in sensu futuri proximi; sic e. g. dicitur ktsgalip, *moribundus,* loco *ksiltsgalip.*

Circa particulam *ts* aliqua ulterius dicenda sunt. Si thema verbale incipiat a consona *ts*, consona *ts* quae themati praefigitur tamquam characteristica futuri temporis, non compenetratur cum ea a qua incipit thema; utraque distincte pronuntianda est: u-ts-tsikati, *adspiciam;* u-ts-tsukwati, *sumam.*

Particula *ts*, quae quando componitur cum verbo, significat tempus futurum, si seorsim stet, alias habet significationes.

Particula *ts* praeposita alicui vocabulo est particula emphatica, si locutio sit interrogativa: ts kuisnilipilka? pal laklak kisnilipilka? *sum ne ego qui hominem occidi? nonne alius hominem occidit?* ts kapsin? *ecquid? eccur?* In istiusmodi locutionibus interrogatio ut plurimum est tropus, et non ad aliquid inquirendum usurpatur, sed ad illud emphatice negandum.

Particula *ts* praeposita vocabulo interdum idem valet ac particula coniunctiva latina *et*, kapsin kintslakil akulak ts kyakgo? *quid tibi placet caro et pisces?* perinde ac si diceretur: *quid tibi placet ex his duobus carne et pisce?* Verum rarissimus est usus particulae

coniunctivae in lingua ksanka. Etenim duo vocabula iuxtaposita, si sensus patiatur, eo ipso intelliguntur copulata: e. g. Titunam, Galinam, San Kilkilwi. *Pater et Filius et Spiritus Sanctus.*

Particula *ts* seorsim stans interdum significat *usque, donec* et similia. Kawangamni ts kiip. *non se movit donec mortuus est.* Nis kuknukunuks alaknikis, unupslatilakilwitskilni lkamnintik nas ts usanmiyitski: *ex quo mortui sunt eorum parentes iugiter curam habui de pueris usque in praesentem diem.* *Na usanmiyitki*, significat *hodie; nas usanmiyitski* est forma secundaria: interposita *ts* significat *usque hodie.* Desinentia *ki* vocabuli *usanmiyitki*, significat praesentiam rei; dies enim est praesens omnibus qui sub sole vivunt.

Particula *ts* praeposita verbis modi indicativi et temporis praesentis, una cum adverbio *tagta* significat *nunc primo:* e. g. tagta ts uslupgani, *nunc primo video te.* *Tagta* est adverbium temporis, et inter alia significat *recenter, recens*, et usurpatur ad rei novitatem significandam. Difficile profecto esset determinare vim significativam propriam particulae *ts* in istis modis loquendi: sufficiat nosse quid tota locutio significat.

Etiam particula *tag* coniuncta cum *tagta* usurpatur ad significandum *nunc primo: tagta tag uslupgani;* tagta tagas siltsgani lksamu, *nunc demum incipit loqui puer.*

Transitum faciamus ad considerandum participium futuri temporis. Ex iis quae nuper diximus de futuro indicativi, et quae superius dicta sunt de participio praeteriti temporis, facile est intelligere participium e. g. *kutsgalik* ex verbo unikni, *manduco*, aequivalere pro diversis adiunctis sermonis unicuilibet ex formulis latinis: *ego manducaturus, qui manducabo, qui volo* vel *debeo manducare, me esse manducaturum, me velle* aut *debere manducare, id quod manducabo, id quod volo* vel *debeo manducare* etc.

Participium futuri temporis, praepositis particulis demonstrativis *na, ni, ko* habet vim futuri proximi relate ad tempus praesens: e. g. na kintslatsinam, *cum sis abiturus.* Eadem formula idem significat si referatur ad tempus praeteritum, et latine redditur per praeteritum imperfectum verbi *sum*, praeposito adverbio *quando:* e. g. ni kintslatsinam, *quando eras abiturus.* Verum res aliter se habet, si agatur non de tempore praesenti vel praeterito.

sed de futuro. Proinde falleretur qui locutionem e. g. *ni kintslatsinam* verteret *quando abibis*, vel *quando abiturus eris*. Ratio est quia locutiones latinae, quae continent adverbium *quando* vel *cum* et respiciunt tempus futurum, habentur penes ksanka veluti locutiones conditionales: eadem enim forma loquendi ksanka significat e. g. *si abibo, si abiero, si abiturus ero* et significat etiam *quando abibo, quando* vel *cum abiturus fuero*. De istiusmodi formis mox sermo erit. Verum participium ksanka futuri temporis praeposita particula demonstrativa aequivalere potest verbo latino praeposito *quando* vel *cum*, et respicere tempus futurum, si ille qui loquitur, veluti se transferens ad tempus futurum consideret tempus futurum ut praesens, dummodo ex adiunctis intelligatur, eum non loqui de aliqua re, reapse futura, sed loqui de aliqua re, perinde ac si esset proxime futura. Sic si velis e. g. cognoscere quomodo gerere te debeas in peragenda confessione, et ex adiunctis intelligatur te non esse hic et nunc confessurum, fas erit tibi quaestionem ita proponere kaa kutsakakna na kutsgaltsganatkagamik? *quomodo me geram ego qui confessurus sum?* qui modus loquendi in illis adiunctis sane aequivalet huic *quomodo me geram quando confitebor?*

Locutiones ksanka quae constant participio futuri temporis praeeunte verbo adverbiali temporis vertuntur in latinum mediante praepositione *post:* e. g. tskawunikitni kutslatsikam, *post breve tempus revertar;* tsgalkalsanmiyitni kutslatsikam, *post tres dies revertar*. Istae locutiones ad literam materialiter verti deberent *erit breve tempus*, vel *erunt tres dies qui revertar* vel *donec revertar*. Simili modo vertenda est locutio pikak utslatsikage, *post longum tempus revertar*. Aliquis fortasse praeferet verbum *wunikitni* adverbio *pikak*, ac dicet *tswunikitni kutslatsikam*.

Sed est et alius usus satis frequens participii futuri temporis. Usurpant ksanka participium futuri temporis modi indicativi pro forma subiunctivi latina praeeunte particula *ut:* e. g. nitukusalni ni nitsta'al, kunalkinilni nasukwins ktsitnmustilktsil: *ligatus fuit ille iuvenis, tractus fuit ad ducem ut indicaretur:* ubi vides participium futurum *ktsitnmustilktsil* verti per subiunctivum *ut indicaretur*. Similem usum reperire est in lingua latina cum dicitur e. g. *huc veni visurus, locuturus* etc. loco dicendi *huc veni ut videam ut loquar* etc.

Imo in ipso exemplo ksanka modo allato, loco vertendi *ut indicaretur* participium *ktsitamustilktsil*, posset ad literam verti *indicandus*. Verum perperam quis ex dictis inferret formulam latinam compositam ex forma subiunctiva et particula *ut* verti posse in quovis casu per participium ksanka futuri temporis modi indicativi.

Nota. Antequam, relicto modo indicativo, transiremus ad considerandos alios modos, agendum esset de forma conditionata cuius characteristica est particula *gma* praeposita verbo, et de forma dubitativa cuius characteristica est particula *lin* inserta in verbo; utraque enim forma, utpote affirmativa, pertinet ad modum indicativum. Verum, quoniam istae duae formae connectuntur cum aliis formis, quae non pertinent ad modum indicativum, de iis loquemur quando de aliis sermo erit.

DE MODO IMPERATIVO ET SUBIUNCTIVO

Formae latinae modi subiunctivi temporis praesentis e. g. *amem, ames, amet* sine addito, id est sine ulla coniunctione vel adverbio, quod formas praecedat, imperium significant. Sane imperativae sunt locutiones *oremus; amemus Deum; eat in ecclesiam*. Imo ad imperium locutione negante exprimendum, nullae aliae suppetunt formae, nisi formae subiunctivae. Non enim soluta oratione licet dicere e. g. *ne loquere;* dicendum quippe est *ne loquaris*.

Formis subiunctivis latinis temporis praesentis sine addito respondent formae subiunctivae ksanka e. g. ultslakil, *amem;* nltslakil, *ames;* ltslakil, *amet*. Etenim istae formae significant imperium, adhortationem, deprecationem, non secus ac formae subiunctivae latinae.

Verum maxime falleretur, qui putaret formas subiunctivas ksanka adamussim aequivalere formis subiunctivis latinis. Etenim formis latinis subiunctivis praeteriti imperfecti et plusquam perfecti e. g. *amarem, amavissem* non respondent ullae formae subiunctivae ksanka, sed respondet forma indicativa praeteriti perfecti *utslakilni* praeposita particula *gma;* nil autem omnino reperire est in lingua latina quod respondeat particulae *gma* ksanka. Praeterea formae latinae subiunctivae futuri temporis *amavero* sine addito, nil respondet in lingua ksanka. Pariter formae praeteriti *amaverim*,

vel nil respondet in lingua ksanka, vel si quid est quod formae *amarerim* respondet, illud est ipsamet forma *ultslukil* praesentis temporis, ut infra dicetur. Istiusmodi discrepantiae inter formas subiunctivas latinas et ksanka habentur consideratis formis latinis sine addito.

Si vero considerentur formae subiunctivae latinae cum addito, id est sub influxu coniunctionum vel adverbiorum, eae adhuc magis discrepant a formis ksanka. Vidimus enim formae subiunctivae latinae, praeposita particula *cum*, e. g. *cum amem*, respondere formam indicativam participialam ksanka *kutslukil*. Similiter formis subiunctivis latinis praeeunte particula conditionali *si* e. g. *si amem*, *si amarero* etc. respondet forma ksanka sui generis, quae in se ipsa conditionalis est absque ulla particula, de qua forma infra sermo erit. Neque datum est reperire in lingua ksanka ullam particulam, quae respondeat particulae latinae conditionali *si;* quemadmodum, ut supra monuimus, nil est in lingua latina, quod respondeat particulae conditionatae ksanka *gma*.

Ex dictis concludendum est formam subiunctivam ksanka respondere formae subiunctivae latinae praesentis temporis et sine addito; seu quod idem est, formam subiunctivam ksanka respondere formae subiunctivae latinae, quatenus forma subiunctiva latina imperium significat. Unde intelligitur cur in hoc articulo simul iunximus formas imperativi et subiunctivi modi. Directe formam subiunctivam considerabimus, at ea quae de hac forma dicturi sumus applicari etiam debent formae imperativae.

Hisce praeiactis transeamus ad investigandos varios usus sive significationes varias formae ksanka subiunctivi modi.

1. Forma subiunctiva optime usurpatur ad exprimendum imperium. De hac significatione formae subiunctivae iam locuti sumus. Aliquas tamen animadversiones addere oportet. Ante omnia animadvertimus formam subiunctivam communiter non usurpari, quoties imperium tendit in personam secundam. Non enim alia de causa invecta est forma imperativa nisi ut significet illam peculiarem efficaciam quam habet imperium, quod in personam secundam fertur. Si autem adhiberi velit aliqua forma alia ab imperativa, licet imperium feriat secundam personam, usurpare

oportebit formam indicativam futuri temporis, potius quam formam subiunctivam.

Alia animadversio facienda est. Particula negativa *mats* quae respondet particulae latinae *ne* afficit etiam formas imperativas: e. g. mats kalwiyin, mats nlkalwi, *ne putes;* mats tsinan, mats nltsinam, *ne abeas.* Imo iuxta ea quae in praecedenti animadversione diximus, forma subiunctiva negans in secunda persona non est usurpanda, nisi ea pendeat ab alio verbo e. g. nasukwin kaklisni mats nltsinamil alakniknis, *dux tibi dixit ne eas ad tuos parentes.*

Demum animadvertendum est formas imperativas suscipere posse particulam *sil* praesentis temporis, vel quia agitur de aliqua re quae habitualiter fieri debet; vel etiam ad emphasim: e. g. mats siltsukwatin kakwilnam, *ne sumas saltationem.*

2. Forma subiunctiva est etiam forma optativa. Forma subiunctiva, cum sit forma imperans, non solum imperium proprie dictum voluntatis significat, sed etiam significat quamlibet voluntatis inclinationem, ac proinde etiam desiderium. Quinimo imperium illud, quod forma subiunctiva exprimit, quando terminat in primam personam singularis numeri, fere nil aliud esse potest nisi desiderium. Nil enim nisi desiderium sibi volunt locutiones e. g. *amem Deum; noverim te noverim me;* et similes. Ukalwini mats laka akuklakuwum, yakakaki ko amaknis lkaka na. *est mihi voluntas ne habeantur locustae, quemadmodum illic in tuo terra, utinam ita sit hic.* In hoc exemplo verbum *ukalwini* vertimus per *est mihi voluntas,* verum optime verti posset per *vellem;* formae *laka* et *lkaka* sunt formae subiunctivae verbi nakani, *habetur; est,* et kakani, *ita se habet.*

Interdum formae subiunctivae praeponitur particula *tsin* quae plura significat, et praeposita formis subiunctivis intelligi potest aequivalere latino *utinam.* Verum ne putes particulam *tsin* esse characteristicam modi optativi, quia ut vidimus ipse modus subiunctivus per se optativus est; proinde ut synonymae habendae sunt formae e. g. lkaka; tsin lkaka, *utinam ita sit; amen.*

3. Forma subiunctiva est forma conditionalis. Etiam in lingua latina usurpantur formae imperativae et subiunctivae loco formarum conditionalium. Cum enim dico e. g. *sint duo triangula,*

habeant omnia latera aequalia, erunt aequalia; da vel *det mihi pecuniam dabo tibi* vel *illi equum;* formae subiunctivae *sint, habeant, da, det,* sine addito, manifeste aequivalent formis conditionalibus *si sint, si habeant, si dederis, si dederit.* Duo sunt formae conditionales in lingua ksanka, una est ipsa forma subiunctiva, de qua loquimur, alia est forma quam appellavimus conditionalem. Quoniam autem non potest, ut par est, explicari munus proprium harum formarum, nisi ad invicem comparentur; ideo de utraque simul loquemur, quando incidet sermo de secunda.

4. Forma subiunctiva ksanka interdum aequivalet formae latinae subiunctivi modi temporis praesentis et imperfecti, praeposita particula *ut.* Etiam in lingua latina forma subiunctiva sine addito interdum aequivalet eidem formae praeeunte particula *ut;* ut cum dicimus e. g. *vellem facias,* loco dicendi *vellem ut facias.* De hac acceptione formae subiunctivae mox loquemur, quando sermo erit de participio subiunctivo.

5. Forma subiunctiva interdum habet vim affirmativam cum energeia. Quoties aliquis aliquid affirmat, et dum affirmat, vult praeterea addere animum alicui, qui vel dubitat vel timet vel utcumque anxius est circa aliquam rem, recte usurpatur forma subiunctiva loco formae indicativae. Forma enim subiunctiva, cum sit imperativa vel adhortativa vel deprecativa potest etiam merito usurpari ut *confortativa.* Sic si loquaris cum aliquo qui anxius sit circa aliquid quod fecit, de quo non omnino certus sit utrum sit necne malum, dices: *mats at laka ksa!an kinitkin,* quae locutio ad literam verti nequit in latinum: *ne sane habeatur malum in eo quod fecisti,* sed verti ita debet: *absit quod habeatur malum in eo quod fecisti;* vel *minime sane habetur malum in eo quod fecisti.* Ubi vides formam subiunctivam *mats laka* vel per formam indicativam latinam *non habetur* reddendam esse, vel per formam subiunctivam *absit quod habeatur,* qui ultimus modus loquendi propius respondet locutioni ksanka. Similter si aliquis quaeratur ad necem et se recipiat in locum in quo tu degis, ubi putat se posse tuto manere, optime confortabis illum dicens: na luni kalla litkiniktsis ksahan, *hic nemo est qui faciat tibi malum,* vel efficacius *absit quod aliquis hic tibi faciat malum.* Verum animadvertendum est istos modos loquendi posse

etiam accipi sub sensu imperante: ut cum tu dux ad populum tuum verba faciens dicis: mats kalla litkinkits ksahans soiapis, *nemo faciat malum americanis*. Proinde intelligis sensum locutionis etiam ex circumstantiis desumendum esse

Quamvis forma subiunctiva, ut dictum est, sit forma confortativa, interdum tamen, in locutionibus negativis, ubi negatio est omnimoda et absoluta, non inest formae subiunctivae nisi vis energetica, qua urgetur et veluti exaggeratur negatio: e. g. kapkatsi, lusi kapsins lupga, *discurrit quaquaversus, nihil est quod vidit*: qui modus loquendi usurpatur de aliquo qui diu vagatus est venaturus, at nihil invenit. In hoc exemplo subiunctivum *lupga* tenet locum participii *kupga*.

DE PARTICIPIO SUBIUNCTIVI MODI.

Participium ksanka modi subiunctivi, quemadmodum reliqua omnia participia, primo et principaliter aequivalet formae subiunctivae latinae praeposito pronomine *qui, quae, quod*: e. g. kultslakil, *qui amem*. Si autem perpendatur vis significativa formae *qui amem*, facile intelligetur eam aequivalere dictioni *ut amem*. Brevi: dicendum est participium subiunctivum ksanka sensu obvio accepto aequivalere vel subiunctivo latino praeposita particula *ut*, vel gerundio in *dum* latino cum praepositione *ad*. Exempla.

Aklsmaknik, ilkananutin kmatil ksilk'kats, kliskagmitgaganis illinismil *O homo, expelle diabolum qui vagatur ut perdat tibi* (*ad perdendum tibi*) *tuam animam*.

Ntsgalamatiktsi kapis kapsins, klamnanakati nas amaks, *dabis illi omnes res, ut sit prosperus in hac terra*.

Usiltkagamni kinlisap, miksan nakani akitlanis, ukomnakakani, luni kuik, uauasni, *ingredior ut cibes me, verum est tibi domus, sum miser, non est mihi cibus, esurio*.

Tsukwatin yitskimi, kinlanmuku wata aki akulak, *sume cacabum* (*situlum*), *ut coquas bulbos* (*patate*) *etiam carnem*.

Cum verbo ukwakilni *dico, impero, hortor, invito*, etc. constanter, et cum verbis *petendi* communiter usurpatur participium modi subiunctivi. Exempla.

Utskakilni akaltnis klitskil kaakaltmil, napit laupga, utssukwilkukni, *dicam filio tuo ut quaerat filium meum, si illum inveniat, gaudebo.*

Nasukwin kaklisni kinlkakaskinmil ksahans, *dux dixit tibi ut cesses a peccato.*

Usilwaliktsaklisni alkaakalt kinlamatkits kiik, *peto a te pro filiis meis, ut des illis cibum.*

Hic autem animadversio facienda est. Verba *dicendi*, quando usurpantur in ordine ad dicta alterius referenda, in lingua ksanka duplici via construi possunt, prout dicta alterius vel ita referas, ut tu personam alterius loquentis geras, vel ita referas, ut tu sis qui loquaris alterius dicta enarrans. Si primum, dicta alterius referenda sunt perinde ac si ipse actu loqueretur, sin alterum dicta alterius enarranda sunt tribuendo verbis formam subiunctivam. Esto exemplum de utraque constructione, quale sponte prodiit ex ore indi alicuius. Nis ktsinam, kakililni mats ntskaknani, nlagam ko ntsyakaugamki; nis ma k'kakilil mats lkakna, pamik kaknani; *cum proficisceretur, dictum illi fuit: non ita te geres, quando perveneris illuc quo pervenies; cum illi quidem dictum fuerit, ne ita se gereret, nihilominus ita se gessit.* In hoc exemplo dicta mats ntskaknani, *non ita te geres* referuntur prouti prodierunt ex ore eorum qui allocuti sunt abeuntem; dum dicta mats lkakna *ne ita se gereret* prodeunt ex ore illius qui aliorum dicta enarrat. Utraque via est legitima; verum, ut plurimum, ksanka secundam ineunt; dum contra kalispelm vix unquam a prima discedunt.

Cum verbis *volendi* communiter coniungitur forma verbalis subiunctiva loco participii, dummodo utriusque verbi non sit idem subiectum. Ratio est, quia ut plurimum forma subiunctiva in casu habet vim imperativam. Exempla: ukalwini nltsganatkagamik, *volo ut confitearis*, vel *volo, confitearis.*

Verbum *ukalwini* duo significare potest, vel actum voluntatis aliquid volentis, vel actum mentis iudicantis. Quoties voluntatem significat, verbum *ukalwini* construitur cum subiunctivo: ukalwini mats liip, *vellem ne moriatur;* quoties vero opinionem significat construitur cum indicativo: ukalwini lintsgalipni, *puto forte morietur.* Hoc sedulo notandum est ne absurda proferantur.

Quamvis generatim usurpanda sit forma participialis subiunctiva ksanka ad vertendas formas subiunctivas latinas quas praecedit particula *ut*. nihilominus saepe usurpatur, loco formae participialis. ipsa forma verbalis: *e. g.* kaa ulakakna litka kaaklitit? *quomodo me geram ut mihi fiat supellex domus?* vel ut *mihi fiant vestiaria?* ubi vides *litka* loco *klitka* ex verbo unitkani. *fio.* Pikak ma kintsga. ma kinwalik kamkokukulkatwumlat litkinil yakiltsgamalilki. *iampridem locutus quidem es. petiisti quidem a presbytero ut fieret templum;* ubi vides *litkinil* loco *klitkinil*.

Verum ipsa verba volitiva quamvis communiter construantur cum forma verbali subiunctiva. construi nihilominus possunt etiam cum forma participiali: nisnilwini klaka amak. *tu es ille qui voluisti ut haberetur terra:* ubi vides *klaka* loco *laka* ex verbo nakani. *est. habetur, oritur.*

Hinc intelligis formam subiunctivam latinam praeeunte particula *ut* posse verti vel per formam subiunctivam verbalem ksanka, vel per formam participialem. Proinde merito mihi olim dux ksanka dixit. promiscue usurpari formam verbalem et formam participialem.

Verum ne putes sola forma subiunctiva ksanka verti posse formas subiunctivas latinas praeeunte particula *ut*. Etenim superius vidimus participium futurum ksanka modi indicativi interdum aequivalere subiunctivo latino cum particula *ut*.

Imo ipsa forma verbalis ksanka futuri temporis modi indicativi saepe aequivalet subiunctivo latino praeeunte particula *ut*. Communis enim est modus loquendi e. g. *quid faciam et habebo vitam aeternam?* loco dicendi: *quid faciam ut habeam vitam aeternam?* vel *ita me geram et habebo vitam aeternam* loco dicendi *ita me geram ut habeam vitam aeternam.* Quoniam autem ksanka carent particula coniunctiva *et*, quae subintelligitur eo ipso quod duo verba iuxtaponuntur, hinc dicunt e. g. unupgani ntsyakaknaki, aklsmaknik, ntssukwaknani na kintsgaik'kats na amak, tsgalsilsukni na kin'kats akanmiyit, alkaakalt, *novi quomodo te gerere debes, o homo, et bene te geres qui peragraturus es hanc terram, et bona erit tua peragratio quotidie, filii mei:* loco dicendi: *novi quomodo te gerere debes, o homo, ut bene te geras cum peragraveris hanc terram, ut bona sit tua peragratio*

quotidie. In hoc exemplo nomen (*y*) *ntsyakaknaki* significat *tuus modus te gerendi*, ex verbo ukwaknani, *ita me gero*: ex quo verbo composito cum radice *suk* verbi *sukni*, prodit usukwaknani, *bene me gero.* Forma *tsgalsilsukni* videtur habere significationem peculiarem *prosperitatis*, veluti si habeatur fortuna secunda.

Si aliquod verbum componatur cum verbis *eundi* et *veniendi*, saepe verti debet per subiunctivum latinum praeposita particula *ut*, vel per gerundium cum praepositione *ad* e. g. usil-tsikal-tukutskaklisni lakasa'anlgunini Piel, *venio ad nuntiandum tibi non amplius aegrotat Petrus:* ususal-itkinni kapsin, *eo ad aliquid faciendum.*

DE FORMA VERBALI (*n*).

Vidimus in articulo praecendenti verba *volendi* construi cum alio verbo sub forma subiunctiva, dummodo subiecta tum verbi *volendi*, tum alterius verbi sint diversa. Si autem subiectum utriusque verbi sit unum idemque, verbum alterum, ad quod respectum dicit verbum *volendi*, assumit formam specialem, quam appellamus formam (*n*). Haec forma habet desinentiam declinationis, et ipsas characteristicas participiales personarum, addita litera *n*. Accipe schema formae (*n*) ex verbo utsukwati, *sumo*.

ku -n-tsukwati	ku -n-tsukwatallani
kin-n-tsukwati	kin-n-tsukwatkilni
ki -n-tsukwati	ki -n- tsukwati

Forma (*n*) communiter vertitur per infinitivum latinum vel per gerundium in *di:* verti etiam posset per subiunctivum cum particula *ut*. Exempla:

ukalwini kuntsukwati, *volo sumere, est mihi mens sumendi*
nkalwini kin'ntsukwati, *vis sumere, est tibi mens sumendi*
kalwini kintsukwati, *vult sumere, est illi mens sumendi*

Cave utaris forma (*n*) quoties subiecta verborum sunt diversa; proinde ne dicas e. g. *nkalwini kin'ntsukwati*, sed dices: ukalwini nltsukwat, *volo ut sumas.* Recte tamen usurpabis formam (*n*) si verbum sit reciprocum: e. g. nisnilwini I. C. kinupganimalni kmatlis, *I. C. fuit ille qui voluit ut ad invicem se viderent (Ipse) cum diabolo*

Forma (*u*) non amittit desinentiam declinationis sub interrogatione: e. g. kinkalwi kin'ntsukwati na palki ktsgalin tilnamunis? *vis ne accipere hanc mulierem in tuam uxorem?*

Usurpabis formam (*u*) cum verbis quae implicite volitionem significant: e. g. utsmak'kamik kuntsukwati. ukawukwinni, *conatus sum sumere, non arripui.*

Interdum verbum volendi desideratur, et censetur implicite contineri in ipsa forma (*u*): e. g. yisaki kuiskagmitgagamik, aki kliksa kungatknukwinni, *quot perdidi, etiam tot sint quos volo salvare.* In hoc exemplo *kliksa* est participium subiunctivum verbi ksani, *tot sunt; yisaki* est nomen (*y*) ex eodem verbo derivatum: forma vero *kungatknukwinni* ex verbo ugatknukwinni, *facio vivere, libero, salvo,* in exemplo allato non potest verti per simplex infinitivum *salvare,* sed debet verti per *volo salvare,* secus nullus esset sensus locutionis.

Quaeritur iam utrum forma (*u*) sit forma affirmativa, ut quae gaudeat desinentia declinationis. Respondeo desinentiam declinationis non tribuere formae (*u*) vim affirmativam. Ratio est quia forma (*u*) est forma evidenter pertinens ad modum subiunctivum vel infinitivum, qui modi nullatenus affirmativi sunt. Verum interdum forma (*u*) habere potest vim affirmandi, quatenus verbum *volendi* non exprimitur in sermone, ac proinde censetur veluti inclusum in ipsa forma (*u*).

DE FORMA CONDITIONATA.

Formam praeteriti perfecti modi indicativi, praeposita particula *gma*, appellamus *conditionatam*, eaque significat illud idem, quod significat forma latina praeteriti imperfecti et plusquam perfecti modi subiunctivi sine addito: e. g. gma utsinage, miksan utsgalkatsinage, pal kusa'anlgoni, *irem, verum non ibo, quia aegroto;* gma utsinage, miksan ukatsinage, pal kusa'anlgoni, *ivissem, verum non ivi quia aegrotabam.*

Diximus formam conditionatam aequipollere formae subiunctivae latinae sine addito; quia formae subiunctivae latinae cum addito, id est praeeuntibus particulis, *ut, si, quum,* etc. modo uni formae ksanka, modo alteri aequivalent. Sic forma latina prae-

teriti imperfecti, praeposita particula ut, non aequivalet formae ksanka conditionatae, sed formae subiunctivae: e. g. kakililni kliik, kaikni, *dictum illi fuit ut ederet, non edit:* ubi vides formam *ut ederet,* respondere formae participiali *kliik*.

Forma conditionata praescindit a tempore, ita ut pro diversis adiunctis et contextibus sermonis, modo ad praeteritum, modo ad praesens, modo ad futurum tempus se porrigit. Ratio est quia forma conditionata communiter est ipsa forma praeteriti perfecti indicativi modi, quod per se praescindit a tempore. Verum interdum, licet raro, ipsamet forma praesentis et futuri indicativi evadere potest conditionata, si praecedat particula *gma:* kaas gma ktsakakaps gma ktsgatknuk aklsmaknik ukakomnakaltsakiktik? *quomodo salvari possent homines nisi paterer?* Attamen notandum est, quoties usurpatur forma conditionata futuri temporis, in ea inesse aliquam peculiarem energeiam, quatenus aliqua necessitas adsignificatur. Sic quum dico: *gma utsgaltsgamalni*, hic modus loquendi potius significat *deberem orare*, quam *orarem*. Similiter verba C'ti Dñi nuper relata efficacius vertuntur ita: *qui fieri posset ut salvarentur homines* etc. ubi adsignificatur impossibilitas rei, quae profecto est quaedam necessitas.

Similem energeiam aquirit forma conditionata, si, loco particulae *gma*, usurpetur particula *sgma*. Sic, si accidat ut incipiatur comestio sine praevia ulla prece, aliquis dicere potest: sgma utsgamalnallani, *equidem orare debuissemus.* Qui modus loquendi optime etiam usurparetur, si iam transactum esset tempus designatum e. g. precibus vespertinis, et aliquis diceret: sgma utsgamalnallani, *equidem orare deberemus.*

Plerumque forma conditionata est pars sermonis respondens alteri parti, quae enuntiat conditionem, qua posita verificatur id quod forma conditionata significat. Conditio autem per verbum enuntiatur; formam vero verbalem, quae conditionem enuntiat, nominamus formam *conditionalem*. De hac forma in sequenti articulo agendum est.

DE FORMIS CONDITIONALIBUS.

Superius notavimus formam subiunctivam latinam temporis

praesentis sine addito usurpari interdum tamquam formam conditionalem, ut cum dico e. g. *obscuretur sol, tota natura peribit*, loco dicendi *si sol obscurabitur, tota natura peribit*. Imo ipsamet forma praeteriti perfecti modi subiunctivi ad instar formae conditionalis adhiberi potest: e. g. *dederit mihi centum aureos, profecto dedissem illi equum*: ubi *dederit* perinde valet ac *si dedisset*. Attamen communiter forma conditionalis latina resultat ex quavis forma sive indicativi, sive subiunctivi modi praeposita aliqua ex particulis *si, dummodo, etiamsi*, et similibus. In lingua autem ksanka particulae conditionales proprie dictae nullae sunt, formae autem verbales conditionales duae sunt, quarum altera est ipsa forma subiunctiva, altera vero est forma sui generis omnium formarum verbalium simplicissima, cum sit ipsa forma praeteriti perfecti modi indicativi abiecta desinentia declinationis. Hanc secundam formam sensu specifico appellabimus conditionalem, dum primam formam pergemus appellare simpliciter subiunctivam.

Tum forma subiunctiva tum forma conditionalis proprie dicta usurpatur, sive conditio sit de praeterito, sive sit de praesenti, sive sit de futuro. Si conditio sit de re futura, poterit promiscue usurpari vel forma subiunctiva vel forma conditionalis, quamvis ut plurimum usurpetur forma conditionalis. Quoties autem conditio sit de re praeterita vel de re praesenti, usurpatur forma subiunctiva si conditio reapse verificata non fuerit: si vero conditio vel verificata fuerit, vel dubium est utrum verificata fuerit, vel dubium est utrum in praesenti verificetur, usurpanda est forma conditionalis proprie dicta. Haec ex iis quae sequuntur manifesta fient.

Ponamus conditionem versari circa rem praeteritam. Praeterea ponamus primo conditionem non fuisse verificatam, ut cum dico *si vidissem cervum, occidissem illum*, cum reapse neque viderim neque occiderim cervum. In hoc casu utar forma subiunctiva pro conditione, et utar forma conditionata pro conditionato, ac dicam ulupga tsupka, gma unilwani, *si vidissem cervum, illum occidissem*.

Ponamus secundo conditionem verificatam fuisse, ut cum dico *si videbam cervum, illum occidebam;* quod significat me occidisse cervum toties quoties illum vidi, intelligendo illud *toties quoties* uni-

versalitate quadam morali, id est *ut plerimum.* In hoc casu utar forma conditionali proprie dicta pro conditione, et forma praeteriti perfecti modi indicativi pro conditionato, ac dicam: unupga tsupka, at unilwani, *si videbam cervum, profecto illum occidebam.* In hoc exemplo particula *at* est particula expletiva, quae potest verti per latinum *profecto, sane* Verum in istiusmodi locutionibus nunquam omittenda est.

Ponamus tertio conditionem forte verificatam fuisse, fortasse non, etiam in hoc casu usurpanda est forma conditionalis proprie dicta. Sic si novi hominem iratum in alium et quaerere illum ad necem, et simul nesciam utrum [illegible] necne illum atque occiderit, dicam: nupga, at nipilni, *si vidit illum, profecto occidit.* Animadverte verbum *nilwani* dici de animalibus edulibus ut sunt cervi, boves etc. contra verbum *nipilni* dici de homine et generatim de animalibus, quorum carnibus vesci non solent indi.

Ponamus conditionem versari circa rem praesentem. Ponamus primo ignorari utrum conditio verificetur; in casu usurpanda est forma conditionalis proprie dicta pro conditione, et pro conditionato usurpandum est futurum indicativi. Sic si duo vel plures iter agentes transeant per locum ubi commoratur aliquis bonus vir operibus misericordiae deditus, et colloquantur inter se dicentes: *si domi manet vir, miserebitur nostri,* vertes *kausaka titkat, tsgalkomnakalukuniaganawasni.* Similiter si ignoras utrum mortua sit uxor illius cum quo loqueris, illique dicas *si mortua est uxor tua, aliam duces,* vertes: *inip kinitkinmul, laklak utslaitkinmulni.*

Ponamus secundo conditionem non verificari, usurpabis formam subiunctivam pro conditione, et formam conditionatam pro conditionato. Sic si illi qui iter agebant pervenerint domum illius viri misericordis, neminemque repererint, ac dicant inter se: *si domi maneret vir, misereretur nostri,* vertes: *lkausaka titkat, gmakomnakalukuniaganawasni.*

Ponamus conditionem versari circa rem futuram. Si conditio sit de re futura, et praevideatur saltem probabiliter verificatum iri conditionem, usurpanda est forma conditionalis pro conditione et forma futura pro conditionato: e. g. *si videbo cervum, occidam illum:* unupga tsupka, utsgalilwani. Ubi velim animadvertas cum

futuro *utsgalilwani* non usurpari, communiter particulam *at*, ut solet cum praeterito; verum illam usurpari posse nemo inficiabitur.

Si autem conditio sit de re futura, et simul praevideatur certo vel probabiliter conditionem non impletum iri, usurpanda est forma subiunctiva pro conditione et forma conditionata pro conditionato: e. g. *si irem Romam, viderem Summum Pontificem*, ultsinam ko Lom, gma unupgani li-Pap. Eadem ratione loquendi uteris si loquaris veluti in abstracto, vel cum dubitatione, vel cum cautela timens ne forte minime impleatur conditio, quia difficile est conditionem impleri, ut quae pendeat a voluntate libera, nec tibi mens est fortiter urgere ut conditio impleatur.

Verum sub conditione de re futura latitudo est in modo loquendi. Etenim interdum loco formae conditionalis, usurpare potes formam subiunctivam coniunctam cum futuro indicativi e. g. lamatiktsap nilkus, utsgalamatiktsi akulaks, *si dederit mihi*, vel *det mihi pecuniam, dabo illi carnem*. Poteris etiam loco formae subiunctivae usurpare formam imperativam: amatiktsu nilku, utsgalamatiktsisni akulak, *da mihi pecuniam*, vel *si des mihi pecuniam, dabo tibi carnem*. Interdum loco formae futurae vel conditionatae ad exprimendum conditionatum, usurpare potes praeteritum perfectum indicativi: e. g. sukni unip, *bonum est si moriar*: uliip sukni, *si moriar bonum est*. Interdum cum forma conditionali proprie dicta coniungere potes formam conditionatam, quae regulariter soli formae subiunctivae coniungenda est: e. g. kaas gma ktsakakaps gma ktsgatknuk aklsmaknik ukakomnakaltsakiktik? *quomodo salvari possent homines, nisi paterer?* Inde intelligis eamdem formam verbalem modo unum modo alium significatum fundere pro diversis adiunctis sermonis. Quod non solum in formis conditionalibus et conditionatis, sed in quibuscumque formis verbalibus locum habere potest.

Consideravimus locutiones conditionales, quae respiciunt tempus vel prateritum vel praesens vel futurum. Si autem praecisio fiat a quolibet tempore, usurpanda est forma subiunctiva non forma conditionalis proprie dicta: e. g. lias Yakasinkinmiki, kausmikugakniagamni, *si essent duo Dii non esset alter prae altero principalis*,

In hoc exemplo *lias* est forma subiunctiva verbi nasni, *sunt duo:* verbum negativum *kausmikugak niagamni* est verbum reciprocum quod ad literam verti nequit, non enim potest latine dici de duobus aequalibus dignitate, *eos non esse ad invicem principales;* qui tamen modus loquendi usurpatur a ksanka.

Tradidimus normas generales, secundum quas usurpari debent formae conditionalis et conditionata in lingua ksanka. Considerandae supersunt quaedam locutiones quae sunt quidem conditionales quoad substantiam, verum aliqua specialis vis illis inest, ut sunt locutiones latinae, quae continent adverbia *etiamsi; potius quam,* et similia. Istae locutiones in lingua ksanka generatim efferuntur per formam subiunctivam vel imperativam, non secus ac aliae locutiones conditionales. Earum autem vis peculiaris non percipitur nisi ex materia et adiunctis sermonis. Sic si volo dicere e. g. *etiamsi occidar non iterum sumam peccatum,* dicam ulipilil, mats ullatsukwat ksahan, *occidar, absit iterum sumam peccatum:* vel si vis dicere *potius occides me quam occidam illum,* dices iplu kainsi ulipil, *occide me non est ut occidam illum.* Verum ad maiorem evidentiam, interdum usurpari potest particula *mika,* quae respondet latino *quamvis,* ac dices e. g. mika ulipilil, mats utslatsukwati ksahan, *quamvis occidar, non iterum sumam peccatum.* Imo si utaris particula *mika* poteris, et interdum debebis, usurpare formam conditionalem proprie dictam: e. g. mika inlu yakasinki, utstsuwati, *quamvis absit dominus rei, illam sumam.*

Particula *mika,* ut alibi vidimus, coniungitur etiam cum forma participiali modi indicativi, verum nunquam coniungitur cum forma verbali producta seu affirmativa. Ratio est quia formae conditionales iisque affines nullam unquam continent affirmationem. Licet enim verum sit quod Logica tradit, non affirmari nimirum in propositione conditionali nisi nexum inter conditionem et conditionatum, nihilominus, si res grammaticaliter consideretur, affirmatio continetur solummodo in verbo quod enuntiat conditionatum. Sane in locutione e. g. *si des, dabo,* affirmatio nulla est in verbo *des,* et tota est in verbo *dabo,* quamvis in contextu vis significativa verbi *dabo* modificata est; aliud est enim dicere simpliciter *dabo,* aliud est dicere *dabo,* postquam dixerim *si des.* Illud autem ani-

madvertas volo, particulam *miko* non esse per se particulam conditionalem, quemadmodum est particula latina *si* vel *etiamsi*. Vis enim conditionalis non derivatur in verbum ksanka ex particula *miko*, ut derivatur vis conditionalis in verbum latinum ex particula *si*; inest quippe formae verbali ksanka vis conditionalis, quamvis utique vehementius eiusmodi vis sentiatur ope particulae *miko*.

Sed sunt et aliae particulae, quae, si placet, appellari poterunt conditionales, ut dictum est des particula *miko*, quatenus vis conditionalis, quam ex se ipsa habet forma verbalis, veluti efficacius sese explicat sub influxu quarumdam particularum. Istiusmodi particulae sunt *ukunil* pro forma subiunctiva in qua inseritur, et *napit* pro forma conditionali cui praeponitur.

Particula *ukunil* idem valet communiter ac adverbia latina *inde*, *deinde*, *consequenter* et similia; attamen eiusmodi particula usurpatur quando id quod significatur per verbum cui inseritur sponte et immediate fluit vel natura vel consuetudine ex illo, quod significatur per aliud verbum praecedens. Sic e. g. si aliquis abierit, a quo aegre seiunctus fui, dicam: ni kuupga nis ktsinam, unukuniluklikpamik, *quando vidi illum abire, inde tristitia affectus sum:* ubi particula *ukunil* indicat nexum inter profectionem illius quem diligo et tristitiam, quae cor meum pervasit; verbum vero *unuklikpamik* significat illam cordis veluti vacuitatem, quae oritur ex absentia alicuius rei quae diligitur, quod significatur vocabulo anglico *lonesome*. Similiter dicere potes: utsganatkagamik, unukunilaktukwakiniktsilni, *confessus sum, inde mihi data est S. Eucharistia;* quia usu factum est, ut nexus intercedat inter confessionem et communionem. Verum particula *ukunil*, si inseratur in forma subiunctiva, dicenda est, expletiva et suam ordinariam significationem amittit; haberi attamen potest ut signum, indicans formam subiunctivam usurpari sub significatione conditionali. Exempla. Lukunilsakiltsgamalil, gma ukunagallani, *si oraretur, iremus.* Ulukunilkokakilupga nilku, utsitinmakani, *si aliquando videam pecuniam, satisfaciam pro debito.* Verbum *ukokakilupgani* componitur ex adverbio *ko* quod in compositione significat *alicubi*, *aliquando*, et ex adverbio *kakil*, quod in casu significat *tunc;* utrumque autem adverbium simul significat *in illo aliquo tempore in quo:* verbum

unitinmakani, significat *compenso, satisfacio* pro quovis debito cuiusvis generis.

Interdum formae subiunctivae conditionali praeponitur particula *taga*, quae fere cum omnibus formis verbalibus saepissime coniungitur, ac saepe fere idem significat ac particula *ukunil:* e. g. tag ulkakil kltsiniakago, gma n'nikulni, *si illi dixissem ut attingeret aquam, bibisses.* De particula *taga* infra sermo erit.

Particula *napit* non componitur cum verbo, sed illi praeponitur, et solummodo formae conditionali praeponitur; ac proinde est signum indicans formam verbalem esse conditionalem. Quod valde utile est, si verbum sit tertiae classis, cuius forma conditionalis eadem plane est ac forma praeteriti perfecti modi indicativi, ac proinde cum ea confundi posset. Particula *napit* potest verti per *si* latinum, quemadmodum et particula *ukunil*, attamen per quemdam abusum; quia, ut supra monuimus, particula *si* censenda est veluti inclusa in ipsa forma verbali conditionali. Exempla afferre inutile est, quia in exemplis omnibus allatis, in quibus continetur forma conditionalis, potes impune introducere particulam *napit.*

Concludamus ea quae respiciunt locutiones conditionales, animadvertendo constructionem quamdam propriam harum formarum. Si verbum conditionale regat aliud verbum, hoc verbum assumit et ipsum formam conditionalem. Ukwakilni katilnamu: sukni, ntstsinamilni alakniknis, sukni unukwi na ukwausaka; *dixi uxori meae; bonum est, ibis ad tuos parentes, bonum est si unus hic domi maneo.* In hoc exemplo verba *unukwi* et *ukwausaka* sunt ambo sub forma conditionali, perinde ac si diceretur: *bonum est si solus fuero si hic domi mansero.* Upgal ma sausaka kamkokukulkatwumlat, tsgalayagalni, *si sciatur quidem non abesse presbyterum, adducetur.* Verbum *upgal* vertitur *si sciatur*, verbum *sausaka*, verti etiam deberet, si latini paterentur, *si non absit.* Verbum *usausakani* significat *esse in aliquo loco*, ac proinde interdum verti potest, ut in exemplo allato, per verbum *non abesse.* Vides interdum infinitivum latinum verti per conditionale ksanka.

Hactenus de forma conditionali egimus, prout habet significationem conditionalem; sed eadem forma passim usurpatur etiam citra significationem conditionalem. Locutiones enim latinae, quae

constant adverbio *quando*, vel particula *quum* et verbo futuri temporis modi indicativi, vel verbo subiunctivo, quod ad tempus futurum se porrigat, vertuntur in ksanka per formam conditionalem. Ulagam, utsgalikni; *quando perveniam* vel *cum pervenero, edam.* Unuliknalla, utsiknukukunallani; *quando absolverimus comestionem hauriemus fumum tabaci.* Istiusmodi locutiones sunt valde affines locutionibus conditionalibus, ita ut saepe, etiam in lingua latina, usurpari possunt pro locutionibus conditionalibus; perinde enim est dicere e. g. *quando videro ducem, accusabo te,* ac dicere *si videro ducem, accusabo te,* unupga nasukwin, utsgaltsganatkaganisni.

Interdum forma conditionalis ksanka aequivalet formae verbali latinae coniunctae cum adverbio *quando*, etiam tum cum sermo est de re praeterita; dummodo locutio latina possit induere formam conditionalem; ut cum dico: *quando aliquid inveniebam, illud sumebam,* unupga kapsin at utsukwati; qui modus loquendi aequivalet huic: *si inveniebam sumebam.* Verum si locutio latina non potest traduci in conditionalem formam, usurpandum est participium ksanka praeteriti perfecti modi indicativi, una cum particula demonstrativa, ut superius dictum est: e. g. nis kupga nipkus, nukunilpitskalwini, *quando vidit ursum inde decurtatum est cor eius* (*timore correptus fuit*). Poterit in casu usurpari etiam nomen sub forma (*y*), at caute: e. g. ko uyakiltsukwatki katilnamu ts na taga, sakilsukni kakilwi, *tum cum duxi uxorem usque adhuc, iugiter bonum est cor meum.* De usu nominum (*y*) alibi sermo erit.

Interdum forma conditionalis ksanka potest latine reddi per adverbium *postquam:* e. g. n'nukunamik, n'nitskil kapsin, nlatsikam, nlawam, at ntsgaltsganatkagamik; *cum discesseris, cum aliquid quaesieris* (*venatum*), *postquam reversus fueris, hucque iterum perveneris, sane confessionem perages.*

Alius est usus formae conditionalis sedulo notandus. Forma conditionalis proprie dicta, si praecedat verbum futuri temporis modi indicativi, aequivalet ut plurimum formae latinae futurae coniunctae cum adverbiis *donec*, *usque dum* et similibus. Na utskausakani unip, *hic habitabo donec moriar.* Ipsa forma subiunctiva usurpari etiam potest in eumdem sensum: e. g. *na utskausakani*

kuliip, verum videtur praeferenda forma conditionalis proprie dicta.

Si agatur de tempore praeterito, vidimus in alio articulo formulas latinas, compositas ex verbo et adverbio *donec*, verti per participium ksanka praeteriti perfecti modi indicativi, praeposita particula *ts;* e. g. kawaagamni ts kiip, *immotus mansit donec mortuus est*. Similem modum loquendi interdum usurpare potes, etiamsi agatur de re futura: e. g. na kawitspaiatu ts kulawam, *hic expecta me donec huc iterum pervenero*.

DE FORMIS SUBIUNCTIVA ET CONDITIONALI FUTURIS.

Si in formis subiunctiva et conditionali inseratur particula futuri temporis *ts* vel *tsgal*, inde prodibunt formae subiunctiva et conditionalis futurae: e. g. *u-l-ts-upga*, *u-ts-upga* ex verbo unupgani, *video, cognosco*. Ut percipiatur vis seu significatio propria harum formarum, animadvertendum est, formas subiunctivam et conditionalem, sensu obvio, respicere tempus futurum, ac solummodo ex contextu et adiunctis sermonis contrahi modo ad praesens, modo ad praeteritum tempus. Si igitur notioni futuri temporis, quae ex se continetur in istis formis, superaddatur alia nota temporis futuri, consequetur eas formas respicere debere tempus aliquod futurum, in ordine ad aliud tempus futurum. Ac quidem res ita se habet. Etenim istiusmodi formae respiciunt rem futuram, non in eo precise tempore in quo res accidet, sed in eo tempore futuro quod praecedit tempus illud, in quo res reapse accidet. Sic forma e. g. unip, *quando moriar* respicit mortem meam in eo tempore, in quo mea mors accidet; forma vero *utsgalip*, respicit tempus quod proxime praecedet meam mortem, seu respicit meam mortem ut adhuc futuram relate ad aliquod tempus futurum. Exempla: tsgalip aklsmakmik, tsgalayagalni komkokulkatwumlat, *quando erit moriturus indus, adducetur presbyter;* ntsgalik, ntsgamalni, *quando eris manducaturus, orabis;* seu *antequam comedas ora*.

Forma conditionalis futura usurpari etiam potest, quoties sermo est de aliqua re incerto futura, quatenus ille qui loquitur respicit sub conditione illud tempus futurum, in quo res non amplius dubie sed certo futura sit. Sic si agatur de aliquo opere quod

tempore futuro peragendum sit, et nesciam utrum futurum sit diuturnum necne, dicam e. g. utsgalitkinni, napit tswunikit, utskaknani: *faciam illud, etiamsi futurum sit diuturnum, ita me geram.* Ubi vides formam conditionalem futuram *tswunikit* verti per *etiamsi futurum sit diuturnum* ex verbo wunikitni, *est longum tempus; est diuturnum; durat longum tempus.*

Conditionale futurum ksanka verborum quantitativorum interdum redditur latine mediantibus adverbiis *ad summum, ut maxime, ad minimum, ut minimum, saltem* etc. Exempla: tsgalyunaka, *si sint futuri multi; ad summum (tutto al più)*: tsgaltsamma, *si sint futuri pauci, saltem:* tsgalyunanmiyit, tsgalkalsanmiyitni kutslawam, *si erunt futuri multi dies, erunt tres dies qui huc iterum perveniam; (al più tardi ritornerò dopo tre giorni).*

Videmur obliti formae subiunctivae futuri temporis, cum de forma conditionali proprie dicta tantum mentionem fecerimus. Verum non ita res se habet; quia quae dicta sunt de forma conditionali applicari debent formae subiunctiva futurae; utraque enim forma indiscriminatim usurpari potest, quamvis communiter forma conditionalis praeferenda sit formae subiunctivae. Verum dantur casus in quibus eligenda est forma subiunctiva.

Si sensus locutionis sit aliquo modo imperativus usurpatur forma subiunctiva: e. g. ltsgalyunaka titkat, anlunu pal tsgalyunakani palki: *esto quod sint futuri multi viri, adhuc tamen plures erunt mulieres.*

Etiam formae latinae quae coniunguntur cum adverbiis *secus, aliter* et similibus, vertendae sunt per formas subiunctivas ksanka futuri temporis. Mats in tag kakna, ultsgalalakgonis: *ne ita te geras, secus flagellabo te:* ikin, nltsyango: *manduca, secus morieris inedia.* Istae locutiones magis ad literam reddi possunt per *ne ita te geras cum sim flagellaturus te; manduca, cum sis iam moriturus inedia.*

DE FORMA DUBITATIVA.

Duplex habetur forma dubitativa in lingua ksanka. Altera exprimit statum mentis fluctuantis inter duo contradictoria ac nullum iudicium proferentis: altera exprimit iudicium mentis af-

firmantis cum formidine erroris, seu iudicium incertum. Primam formam ksanka voluerut esse ipsam formam conditionalem verbi, inserto praefixo *akan;* secunda forma est quaelibet forma verbalis producta seu affirmativa modi indicativi, inserto praefixo *lin*. Utrumque praefixum inseritur in verbo ante praefixa declinationis, quae tempus significant.

Prima forma dubitativa ksanka aequivalet verbo latino coniuncto cum particula *utrum* vel *num* vel *ne*, sed citra interrogationem. Ukaupgani n-akan-tsinam nasukwa, *nescio utrum abierit dux.* Illud autem quod respondet latino *an non* vel *necne*, est *la waha:* ukaupgani nakantsinam la waha, *nescio utrum abierit an non.* Particula *la* praeterquamquod significat *iterum, amplius*, significat etiam *vel, aut, an*, etc. e. g. kalla kisnilin nasukwin na ukwi la na ukwi, *quisnam est ille qui est dux hic unus an hic alius?*

Quod attinet ad particulam dubitativam *akan*, nequit dici eam aequivalere particulae latinae *utrum*, potius dicendum est eam aequivalere adverbio *forte*. Etenim *utrum* aequivalet latino *si forte*, atqui particula conditionalis *si* inclusa est in ipsa forma verbali ksanka; ergo restat ut particula *forte* sit illa quae aequivalet particulae *akan*.

In lingua latina forma verbalis dubitativa, quae effertur per particulam *utrum*, refertur ad aliud verbum, quod est e. g. *nescio, dubito, quaero* etc. Attamen aliter res se habet in lingua ksanka, ubi forma dubitativa conditionalis proferri potest nullo alio verbo addito. Si enim quaeras e. g. k'kausaka nasukwin? *est ne domi dux?* aliquis respondebit: *nakantsinam*, loco dicendi *ukaupgani nakantsinam:* vel respondebit nakanlalak'kats, nakankausaka, *utrum foras discurrat, utrum domi maneat.* In quibus locutionibus, secundum concipiendi modum latinorum, deberet subintelligi aliquod verbum e. g. *nescio*, vel *dubito* vel quid simile. Verum ksanka nil subintelligunt, sed istiusmodi locutionibus conditionalibus solummodo solent exprimere statum mentis suae dubitantis, perinde ac si sub oculis ponerent suum animum inter duo veluti libratum.

Si dubium versatur circa rem futuram, usurpanda est forma conditionalis futuri temporis: e. g. unakan-tsgal-ai, *utrum sim furaturus:* unakantsgalai, la waha, *si forte furaturus sim an non:* ex verbo un-ai-ni, *furor*.

Alia forma dubitativa ksanka est forma affirmativa, ut supra monuimus, et exprimit iudicium mentis incertum vel probabile. Characteristica huius formae est particula *lin*, quae aequivalet adverbiis latinis *forte*, *fortasse*, *probabiliter* etc. e. g. ulinslutskini, *fortasse mentior:* ulintsgalaini, *fortasse furabor:* ulintsgalaimititni kutslatsikam; *ero fortasse duorum dierum* (*absens*) *donec revertar:* ukalwini mats liip, miksan ukalwini lintsgalipni. *nollem eum mori, verum puto fortasse morietur.*

DE PARTICULA KAA EIUSQUE AFFINIBUS.

Particula *kaa* est una ex praecipuis particulis linguae ksanka, ac magni momenti est probe nosse eius vim et usum. Particula *kaa*, cuius forma secundaria est *kaas*, est vocabulum sui iuris, quod non componitur cum aliis vocabulis, et communiter praeponitur verbo habenti formam simplicem, id est carenti desinentia declinationis. Verum dum verbo praeponitur, inducit in ipsum aliquam modificationem phonicam, quatenus postulat ut inseratur immediate ante thema verbale vocalis *a*, si quidem thema verbi incipit a consona. Dixi *ut plurimum;* quia interdum non inseritur eiusmodi vocalis phonica, interdum vero potest ad libitum inseri vel non: e. g. kaa kin-a-kanam; kaas k'kausaka; kaa un-a-kalwi, kaa ukalwi.

Hisce praestitutis, investiganda est vis significativa particulae *kaa* primo sub interrogatione, deinde citra interrogationem. Particula *kaa* in locutionibus interrogativis idem valet ac pronomen latinum *quinam*, *quaenam*, *quodnam*. Seu, quod in idem recidit, mediante particula *kaa*, quaeritur ut indicetur aliquod ex pluribus subiectis, cui conveniat aliquod praedicatum, vel aliquod ex pluribus praedicatis, quod conveniat alicui subiecto. Notandum tamen est, particulam *kaa* non se porrigere ad omnia subiecta vel praedicata, circa quae versari potest aliqua interrogatio. Quod ut intelligatur, noscere oportet metaphysicam sublimiorem indorum ksanka de supremis rerum generibus.

Quidquid sit de supremis rerum generibus iuxta philosophos, qui inter se non conveniunt, suprema rerum genera secundum

ksanka sunt octo: *persona, res* prout opponitur personae, *essentia seu natura, caussalitas, modus, quantitas* continua et discreta, *locus, tempus.*

Iamvero si circa personam versatur interrogatio, ea fiet per pronomen kalla? *quisnam?* Si versetur circa essentiam seu naturam, interrogatio fiet per pronomen kapsin? *quid?, quidnam?* Pariter interrogatio circa caussam fit per kapsin? *cur? curnam?* Si autem interrogatio versetur circa quinque reliqua suprema genera, interrogatio fit per pronomen kaa?, *quinam?, quaenam?, quodnam?*

Vides igitur considerationem de supremis generibus, prouti ea intelliguntur a ksanka, non esse inanem speculationem, quum suo valore practico non careat. Verum generum supremorum momentum plenius intelligetur, quando sermo erit de verbis universalissimis, quae supremis generibus respondent, et de nominibus (*y*), quae cum supremis rerum generibus nexu arctissimo vinciuntur.

Exempla. Ex verbis ukwakini, *dico;* ukaklik, *est meum nomen;* nisnilsukni, *est illud quod bonum est;* kakani, *hoc modo se habet;* kasni, *tantum est;* ksani, *tot sunt;* ukwakiltsgamalni, *ibi oro;* kaswusalipni, *tunc mortuus est* prodeunt

kinkaki? *dixistine?*	kaa kinakaki? *quidnam dixisti?*
kinkaklik? *est ne tuum nomen?*	kaa kinakaklik? *quodnam est tuum nomen?*
kisnilsuk? *est ne illud quod bonum est?*	kaa kisnilsuk? *quodnam est illud quod bonum est?*
k'kaka? *hoc ne modo se habet?*	kaas kakaka? *quonam modo se habet?*
kikas? *tantumne est?*	kakas? *quantumnam est?*
kiksa? *totne sunt?*	kaksa? *quotnam sunt?*
kinkakiltsgamal? *ibine oravisti?*	kaa kinakakiltsgamal? *ubinam oravisti?*
k'kaswusalip? *tuncne mortuus est?*	kaas kakaswusalip? *quandonam mortuus est?*

Vides ante participia *kakas* et *kaksa* ksanka supprimere particulam *kaa;* formae enim regulares deberent esse *kaas kakas, kaas kaksa.* Hoc fortasse ideo factum est, quia ista participia fre-

quenter usurpantur: neque periculum est, ut confundantur cum participiis *kikas*, *kiksa*, propter vocalem phonicam *a*, quae est ante radices *kas* et *ksa*, quae phonica, ut supra dictum est debetur particulae *kaa*. Interdum ksanka supprimunt particulam *kaa* etiam ante participia verborum compositorum cum verbis *kasni* et *ksani*, et aliorum verborum: sic ex verbo kaswunikitni, *ita longum tempus est* habentur participia non consociata cum particula *kaa* kakaswunikit? *quam longum tempus fuit?* ktsakaswunikit? *quam longum tempus futurum est?*, quae aequivalent adverbio latino *quandonam?* relatum ad praeteritum et ad futurum tempus.

In primis tribus exemplis propositi schematis evidenter apparet particulam *kaa* aequivalere pronomini *quinam*, *quaenam*, *quodnam*. Sed et in aliis exemplis eamdem vim habet particula. Etenim *quantumnam*, *quotnam*, *ubinam*, *quandonam*, aequivalent respective *quaenam quantitas*, *quaenam totalitas*, *quinam locus*, *quodnam tempus*.

Notandum est in ultimis duobus ex allatis exemplis particulam *kakil* significare *ibi*, et particulam *kaswasal* significare *tunc*, quae particulae sub influxu particulae *kaa* evadunt respective *ubi* et *quando*. Verum ipsamet particula *kaa*, nulla alia comitante particula, ex se significare potest *ubi* et *quando*, si verbum implicet notionem loci vel temporis. Sic ex verbis sausakani, *est alicubi*; ukanage, *eo aliquo*, uniluat'ti *mitto aliquem aliquo*, prodeunt kaas ksausaka? *ubi nam moratur?*; kaa kinakanam? *quonam is?*: kaa kiniluat'tap, *quonam me misisti?* vel *quandonam me misisti?* pro diversitate adiunctorum sermonis. Imo cum ipso verbo uninni, *sum*, particula *kaa* significare potest *ubi* e. g. kaas kiin? *ubinam est?*: quae tamen formula significare etiam potest *quinam est?* e. g. *tuus equus*, *tua domus*, etc. Quod mirum non est, quia pronomina, cum sint nomina adiectiva, habere possunt etiam vim adverbii.

Cognita vi significativa quam habet particula *kaa* sub interrogatione, investigandum est quid ipsa significet citra interrogationem. Primo dicendum est particulam *kaa* etiam citra interrogationem aequivalere pronomini *quinam*, *quaenam*, *quodnam*. Verum animadvertendum est particulam *kaa* citra interrogationem non coniungi cum participio modi indicativi, sed cum forma con-

ditionali, vel etiam cum forma subiunctiva, licet rarius. Quid simile locum habet etiam in lingua latina, in qua interrogatio fit per verbum indicativi modi: *quodnam est tuum nomen?*; dum citra interrogationem usurpatur verbum subiunctivi modi: *nescio quodnam sit tuum nomen.* Accipe schema.

nkaklik, *si sit tuum nomen*	kaas nakaklik, *quodnam sit tuum nomen*
nisnilsuk, *si sit illud quod bonum est*	kaas nisnilsuk, *quodnam sit illud quod bonum est*
nkaka, *si ita se habet*	kaas nakaka, *quomodo se habeat*
inkas, *si sit tantum*	nakas, *quantumnam sit*
niksa, *si tot sint*	naksa, *quotquot sint*
nkakiltsgamal, *si ibi oraveris*	kaa nakakiltsgamal, *ubinam oraveris*
kaswusalip, *si tunc mortuus sit.*	kaas nakawusalip, *quando nam mortuus sit.*

Vides etiam formas *nakas* et *naksa* aequivalere formis *kaas nakas*, *kaas naksa*.

Superius diximus usurpari formam subiunctivam verbi cum particula *kaa* e. g. ukaupgani kaa ulakakna, *nescio quomodo me geram;* ubi *ulkakna* est subiunctivum verbi ukaknani, *ita me gero.*

Sed et aliam significationem habet particula *kaa* citra interrogationem. Dum sermo fuit de pronominibus, monuimus particulam *kalla* esse ipsum pronomen *aliquis* coarctatum ad personam, *kapsin* vero esse ipsum pronomen *aliquid* dictum de persona vel de re secundum suam essentiam. Dicendum autem est particulam *kaa* esse ipsum pronomen *aliquod*, quod tamen dicitur de illis tantum rebus quae continentur sub quinque supremis generibus, ad quae particula *kaa* se porrigit. Verum discrimen aliquod est, et in eo est quod *kalla* et *kapsin* significant *aliquis*, *aliquid* independenter a verbo; dum *kaa* communiter coniungitur cum forma verbi conditionali, et cum ea significat, *si aliquis*, *si aliqua*, *si aliquod.* Exempla

kaas nakaklik, *si quod sit eius nomen*

kaas nisnilsuk, *si quod sit illud quod bonum est*

kaas nakaka, *si quo modo se habeat*

nakas, *si qua sit eius quantitas*

naksa, *si qui sint, si quae sint*

kaas n'nakakiltsgamal, *sicubi oraveris*

kaas nakaswusalip, *si quando mortuus fuerit.*

Hinc facile est transire ad determinandam tertiam significationem, quam habet particula *kaa* citra interrogationem. Particula *kaa* una cum forma conditionali verbi, et propter influxum eiusmodi formae aequivalet etiam pronomini *quicumque, quaecumque, quodcumque.*

kaa n'nakaklik, *quodcumque sit tuum nomen*

kaas nakaka, *quomodocumque se habeat*

nakas, *quantumcumque sit*

naksa, *quotquot sint*

kaa n'nakakiltsgamal, *ubicumque oraveris*

kaas nakaswusalip, *quandocumque mortuus fuerit.*

Sub hac significatione particulae *kaa* melius esset fortasse uti formulis *kaas nakas, kaas naksa* quam formis *nakas, naksa.*

Ea quae hucusque dicta sunt de particula *kaa* applicanda sunt etiam particulis affinibus *kalla* et *kapsin.* Exempla.

kalla kiin? *quisnam est?*

kalla innin, *quisnam sit; si quis sit; quisquis sit*

kapsin kiin? *quid? quidnam est?*

kapsin innin, *quidnam sit; si quid sit; quidquid sit*

kapsin kiin?, *curnam est?*

kapsin innin, *curnam sit; si qua de causa sit; quacumque de causa sit.*

Animadverte, posse interdum loco formae conditionalis *innin* usurpari formas subiunctivas *liin* vel *kliin.*

Demum notandus est usus peculiaris particularum *kapsin* et *kaa.* Si aliquem indum interrogas *quid vis?*, uteris particula *kapsin* sine addito: indus autem saepe respondebit *ts kapsin,* quod aequivalet latino *ecquid?*, perinde ac si diceret *ecquid est quod velim?*, quod significat se nil velle. Similiter si indum interrogas quonam iverit e. g. dux, interdum respondebit *ts kaa,* quod significat vel se nescire, vel nolle dicere quonam perrexerit dux, vel ducem nusquam ivisse.

Est et alius modus loquendi in quo particula *kapsin* sociatur cum particula *kaa*. Formulis latinis indeterminatis *propter aliquam rationem; aliqua de causa; alicuius finis gratia*, et similibus aequivalet formula ksanka *kaas kapsins*.

Ut concludamus ea quae pertinent ad particulam *kaa*, animadversio facienda est. Diximus particulam *kaa* attingere quinque ex generibus supremis sub significatione pronominum *quodnam, aliquod, quodcumque*. Verum perperam quis inde inferret, solummodo particulam *kaa* attingere, sub significatione horum pronominum, illas quinque categorias. Etenim, quamvis una particula *kaa*, sub significatione pronominis *quodnam*, attingat illas categorias: attamen sub significatione pronominis *quodcumque*, et praesertim sub significatione pronominis *aliquod* plures aliae particulae et verba illas categorias attingunt. Confer ea quae superius dicta sunt de pronomine indefinito, *aliquid, aliquantum, aliquot, quilibet*, etc.

Sed praecipue animadversio facienda est circa categorias loci ac temporis. Particula *kaa*, una cum quibusdam verbis vel adverbiis loci vel temporis, significat *alicubi, aliquo, aliquando;* verum est alia particula, quae ex se et ratione sui idem significat, eaque est particula *ko*. Particula *ko*, non composita cum verbo, est pronomen demonstrativum, vel aequivalet adverbiis *ibi, illic, tunc* etc. In compositione vero cum verbo, particula *ko* aequivalet adverbiis *alicubi, aliquo, aliquando*. Quod si verbum sit negativum, particula *ko* sub negatione significat *nullibi, nusquam, nunquam*. Ukalwini kun-ko-kanage, *volo ire aliquo*: ka-ko-kakasugagomik, *nunquam, habuit terminum*. Hoc ultimum verbum dici potest de aeternitate, quae non habuit terminum a parte ante, neque habebit a parte post.

DE QUIBUSDAM PARTICULIS QUAE VERBUM COMITANTUR

Agentibus nobis de usu formarum verbalium aliquae occurrerunt particulae, quae cum verbis coniunguntur, quarum vim significativam explicavimus. Verum sunt et aliae particulae, quae

frequentissime una cum verbis usurpantur, et saepe prima fronte omitti posse absque ullo detrimento viderentur, dum reapse non mediocrem evidentiam et vim sermoni tribuant, quinimo interdum valide concurrant ad illam ambiguitatem, quae ex multiplici usu formarum verbalium oritur, dissipandam. De istiusmodi particulis in praesenti agendum est: verum tantummodo praecipuas attingemus, quae sunt *taga, pal, at, ma.* Neque putandum est rem esse facilis negotii explicare harum particularum vim, quae usu magis veluti sentiri, quam reflexione cognosci potest.

TAGA, TAGAS — Particula *taga* usurpatur absolute et sine addito ad significandum aliquam rem attigisse suum finem, vel esse completam, perfectam: proinde aequivalet dictis latinis *finis, cessa, satis,* etc. Sic in fine precum, ad dimittendum populum, dices *taga;* similiter pueris qui ludunt, ut cessent a ludo, dices *taga;* etc.

Communiter *taga* associatur verbis cuiuscumque formae et plura significat.

1. Significat finem vel exitum vel resolutionem ultimam alicuius rei, et aequivalet adverbiis latinis *demum, tandem* et similibus. Tagas unupgani, *demum intellexi;* tag na kuwam, *demum huc perveni.*

2. Quando aliquis enuntiat animi deliberationem vel propositum circa aliquid, utitur particula taga, perinde quasi significet se pervenisse ad aliquam conclusionem. Kaa ulakakna litka kaaklitit, tagas utsitkinni kapsin, *quomodo me geram ut mihi fiant vestiaria et domus suppellex, me applicabo ad opus.* In hoc exemplo non reddimus particulam *taga*, quia nullum vocabolum latinum ipsi respondet, nisi forte dicas: *in conclusione me applicabo ad opus.* Vocabulum *aklititnam* usurpatur ad significandum vestiaria, et suppellectilem domus. Similiter si aliquis ivit ad aliquem invisendum, et resolvat ab ipso discedere, dicet *tagas atslatsinage.*

3. Quoties aliquid ab aliquo procedit ut conclusio ex praemissis, ut effectus ex causa, et illud quod procedit concipitur ut resolutio, ut exitus illius a quo procedit, usurpatur particula *tagae* quae in casu aequivalet particulis latinis, *inde, igitur* etc. Pal k'kanlaltap, tagas usa'anlgonini, *quoniam percussit me, inde aegrotavi.*

4. Quando fit mutatio vel transitus unius rei in aliam, sive ex processu naturali, sive per accidens, quando una res alteri succedit, vel supervenit, indi concipiunt secundam rem veluti exitum primae, perinde quasi prima res resolvatur in alteram, ac usurpant particulam taga. In istis casibus potes vertere particulam *taga* per *deinde* latinum, quod tamen non accurate respondet particulae ksanka. Walkwa sukni akulak, tagas sa'ankaptik, *heri bona erat caro, deinde corrupta est (evasit mala).* Unikni, tag unikulni, tag ukomnini, *edi, deinde bibi, deinde dormivi.*

Ex allatis exemplis vides particulam *taga*, quoties verbo coniungitur, significare exitum, resolutionem, unius rei in aliam, sive resolutio sit finalis, sive non. Animadvertendus praeterea est modus singularis concipiendi indorum, qui aliquam rem, quae uteumque, etiam per accidens, alteri superveniat, illam concipiunt ut huius exitum et resolutionem. Inde fit ut saepe nil inveniatur in lingua latina quod respondeat particulae *taga:* non enim latini duas quaslibet res, quae se mutuo excipiunt, ita concipiunt, ut habeant unam veluti exitum vel resolutionem alterius.

Etiam particula *ukunil* significat *inde* et *deinde:* verum ea usurpatur, quando verba reguntur ab eodem subiecto, et nexus inter res expressas per verba est quodammodo naturalis, ita ut posita una re sponte intelligitur alia, ac res immediate sese excipiunt. Ni k'kalsa nasukwinintik nupgani akilnuuss, naklanakapsi, nukunilupgani klakaps kwilka-nasukwins, nukunil nitaknamik, tsinage, *illi tres reges viderunt stellam, erat diversa, inde cognoverunt natum esse magnum ducem, inde paraverunt se ad iter agendum, et iter arripuerunt.*

5. Interdum particula *taga* habenda est ut pleonasmus; qui praesertim locum habet, quando particula *taga* coniungitur cum particulis demonstrativis *na, ni, ko.* Tag na kintslatsinam, *cum sis abiturus:* kos tagas sausakani galtsinis, *illic moratur tuus equus.*

PAL — Particula *pal* est particula adversativa et aequivalet particulis latinis *sed, at, verum, contra,* et similibus. Sub hac significatione *pal* coniungitur communiter, cum formis verbalibus affirmativis. Yunakani kuiknalla kos tagas; pal na luni kapsin; *multus erat noster cibus illic; verum hic nihil est.* Tsgaltsmak'kapsi, tsgalkatsmkakapsi kitnmustilkits Yakasinkinmiki kilkilwis aklsmak-

niks. kaas ktsakakinap kaminmil, pal tsin kiin kuawitskin ksahan? *erit fortiter, erit strenue iudicium Dei in probos, homines, quonam modo tractabit me, quum contra solummodo est quod teneo peccatum?*

Interdum oppositio est veluti implicita, interdum veluti subintelligitur id cui fit oppositio. Sic si aliquis inadvertenter sumpserit aliquid, quod ad alium pertinet, quando animadverterit id quod fecit, dicet pal utsukwati, *verum sumpsi;* perinde ac si diceret *nesciebam me sumpsisse, verum sumpsi.* S. Naoti Mali, San Sosep tsukwatamni, tagas nukunil nawumni, nakalti; kaupgani kapsins kslakalt; pal ninsi Yakasinkinawasiski. Sancta Virgo Maria, Sanctus Joseph se mutuo sumpserunt, deinde aquisivit ventrem aquisivit filium; ignorabat (S. Joseph), cur aquisivit filium, verum fuit Deus. In hoc exemplo *nawumni*, ad literam significat *habet ventrem* seu *apparet gravida* pariter *nakalti* significat *habet filium.* In istis et similibus casibus dum enuntiatur aliqua veritas vel resolvitur aliquod dubium affirmatio fit veluti in oppositione ad dubium vel ad ignorantiam, quae oppositio significatur mediante particula *pal.*

In comparatione plurium inter se, in discussione pro et contra alicuius negotii, in relatione opinionum diversarum, aliqua oppositio locum habet, ac proinde abundans usus particulae *pal.* Ktukutskakiam; nalkinilni ktsganam, unawitskapaltilik, kakiamni: yakankitki, pal suknikitni, pal sa'annikitni. Aki unulpalnititni kaskik'ka amak pal yakankitki; aki pal kanikitni: *nuntium; huc allatus est sermo, auscultavi a longe, dicitur: modus quo res se habet, sed delectabilis est, verum ingrata est. Etiam audivi de duabus regionibus: sed quemadmodum una se habet, verum etiam alia ita se habet.*

Interdum vero vix aliqua oppositio significari potest per particulam *pal*, cum e. g. aliquis qui cultrum amisit, ex abrupto dicet pal uniskagmiti aksamal, *verum amisi cultrum*, vel alius nuntiat tibi ea quae in alia regione acciderunt dicens: pal kalsani kalakgul; aki pal nasni kiip, pal nukwini kutinmitka; tres flagellati fuerunt; duo mortui sunt, unus firigore enectus est. Fortasse in enumeratione plurium particula *pal* haberi potest ut aliqualiter adversativa, quatenus aequivalere potest particulae latinae *autem;* verum si unum tantum enuntiatur, nulla videtur haberi oppositio, ac proinde particula *pal* censenda est pleonastica.

Si oppositio est, ut ita dicam, fortis, communiter usurpanda est particula *miksan* quae particula est adversativa, et usurpatur solummodo quando inter duo intercedit vera oppositio, neque plures habet significationes ut particula *pal*: sukni n'niplap, miksan utskaipilni, *bonum est si occideris me, verum non occidam illum*: tsamnani kaiyamu, miksan yunakani kagaltsin *pauci sunt mei boves, verum multi sunt mei equi*. Imo si forma verbalis non sit affirmativa non usurpatur particula *pal* ad oppositionem significandam, sed usurpanda est particula *miksan*. Sic si aliquo convenerint iuniores indi, qui putantur male se gessuri, et dux mittens illuc milites dicat: si biberint, si luserint apprehendite illos, *verum si non ita se gesserint, ne curetis illos*: hanc ultimam partem sermonis ducis ita vertes: *miksan kakakna mats utsikati*.

Hactenus consideravimus particulam *pal*, prouti comitatur formas productas sive affirmativas verbales. Cum formis simplicibus, et praesertim formis participialibus, particula *pal* usurpatur quoties affertur aliqua ratio ad aliquid confirmandum, vel obiicitur aliquod argumentum ad aliquid vel infirmandum, vel labefactandum, vel negandum. In utroque casu particula *pal*, generatim loquendo, aequivalet particulae latinae emphaticae *nonne*. In primo autem casu, quando videlicet affertur ratio ad explicationem vel confirmationem alicuius propositionis, fas est, et interdum melius est vertere particulam *pal* per particulas latinas caussales *quia, quoniam, quum*, etc. mats utskomnakalukuniaganisni, pal kinsahan, *nolo misereri tui, quia* vel *nonne molus es*: kinaklukwiga titkat? *desiderasti ne virum?* ; pal kuin tilnamu, *nonne sum vetula mulier*.

Particula *pal* distinguitur a particula uk'kna, *quia, propter, sane*; particula enim *pal* est particula emphatica, quae emphasis in quisbusdam casibus optime seponitur. Praeterea particula *uk'kna* significat etiam *sane, profecto*, quae significatio semper immiscetur aliis significationibus; ita ut particula *uk'kna* qua caussalis est melius vertitur per *quia sane* quam simpliciter per *quia*.

AT — Particula *at* praeponitur, ut plurimum, formis verbalibus affirmativis, vel imperativis. Eius vis in eo est ut tribuat affirmationi vel imperio aliquam energeiam, et etiam universalitatem, quoties non agatur de re omnino individua, quae universalitatem

non patiatur. Energeia, quam particula *at* tribuit verbo, consistit in hoc, quod res significata per verbum habenda est ut *rata*, ut *certa*. Si vero res enutiata per verbum sit ex se evidens et certa, particula *at*, ut redundans et expletiva habenda est. Inde consequitur particulam *at* verti posse, ut plurimum per particulam *sane*; verum particula sane valde deficiens est in reddenda vi particulae *at*.

Particula *at* semper usurpatur cum verbis cuiusvis modi, quae imperium exprimunt, quoties id quod per imperium statuitur se habeat ut lex universalis constanter servanda, non ut praeceptum particulare semel implendum. Nkalwi kin'nkunage akilmiyit, at ntstsgamalni, *si vis ire in coelum, orabis*.

Particula *at* usurpatur quoties agitur de re quae communiter contingit, vel solet communiter sive habitualitur fieri. In casu particula *at* coniungitur cum praeterito perfecto modi indicativi: e. g. at unutskini, *soleo mentiri*. Quod non significat hominem esse deditum mendacio seu habere habitum mentiendi, sed significat communiter contingere ut aliquando ipse mentiatur. Hinc formula *at unutskini* melius verteretur per praesens indicativi *mentior*. Vides in istis locutionibus adsignificari aliquam indeterminatam frequentiam.

Citra duos casus quos commemoravimus particula *at* fere aequivalet latino *sane*: e. g. at sukni, *certe bonum est*. Imo si agitur de re per se evidenti, in versione latina particula *at* impune omitti potest. Utsukwatmuni kaakiy kyakgo, ukatsmakwitskinni uk'kna kaltukwi, at ulakatakinni, at latsinage; *sumpsi manibus piscem, non tenui illum fortiter, quia laevis erat, non amplius potui, iterum abiit*. In quo exemplo particula *at* indicat quod iam per se evidens est, ex toto sermone, id est non potuisse teneri piscem, ac proinde abiisse.

Saepe particula *at* coniungitur cum quibusdam nominibus (*y*), et rei universalitatem significat, quam universalitatem res habet etiam ex ipsa forma (*y*), ut suo loco dicetur. At yakaugalituiskaki akinkoko ktsinak; *ibi ubi solet consistere ignis velox*, quod significat *stationem* viarum ferrearum. Etiam in hoc exemplo posses vertere nomen *at yakaugalituiskaki* per praesens indicativi ita: *ibi ubi consistit*.

MA — Particula *ma* usurpatur cum formis verbalibus simplicibus, et praesertim cum participio praeteriti perfecti indicativi modi. Generatim particula *ma* addit energeiam vel emphasim verbo cui praeponitur, sed aliter atque aliter, quod explicandum est.

Particula *ma* prius consideranda est associata cum forma participiali praeteriti perfecti, et duo distinguendi sunt casus, prouti particulam *ma* praecedit vel non praecedit particula demonstrativa *ni* vel *ko*. Si particula *ma* una cum particula demonstrativa praeponitur participio praeteriti perfecti, ea aequivalet particulis latinis *quidem* vel *sane*. Nis ma k'kakilil mats lkakna, pamik kaknani, *cum illi quidem dictum fuisset ne ita se gereret, nihilominus ita se gessit.*

Eamdem vim habet particula *ma* quoties sociatur formis conditionalibus sive modi subiunctivi sive modi conditionalis, licet nulla interveniat particula demonstrativa. Aki ma nltaktimạl na ukwi, gma sukni: *si etiam quidem reprehendisses hunc alium, bonum fuisset.*

Hinc intelligis particulam *ma* praestare cum formis verbalibus, quae neque affirmativae sunt neque imperativae, illud quod praestat particula *at* cum formis affirmativis et imperativis. In eo tamen inter se differunt *ma* et *at*, quod illa non tribuit rei per verbum significatae illam quamdam universalitatem, quam tribuit particula *at*.

Aliud animadvertendum est circa particulam *ma* quando cum participio praeteriti perfecti sociatur. Eiusmodi particula saepe ut expletiva habenda est quando una cum particula demonstrativa praeponitur participio; ac nil aliud praestat nisi in obliquo indicare formam participialem praeteriti perfecti, quae per se praescindit a tempore, in casu non praescindere a tempore sed respicere tempus praeteritum. Ratio est quia particula *ma* non solet usurpari, saltem ut plurimum nisi quando agitur de re praeterita. Ko ma kutsinam, *quando abii:* ko ma kalakgonaps nasukwins, ists ninni kangali, *ille qui flagellatus fuit a duce, ipse est meus filius*: ni niskits ma kipilil, ists ninni kangali; *ille qui ante annum elapsum occisus fuit, ipse est meus filius:* ko ma kaka kos Pak kyukyit, in tagas utsgalala-

lititni. *ille qui natus est tunc in die Paschatis, ipsum volo in coniugem ducere.* In istis et similibus exemplis posset quidem particula *ma* verti per latinum *quidem*, verum nescio an inde locutio aliquid proficeret.

Transeamus ad considerandum particulam *ma* quando sine particula demonstrativa praeponitur praeterito perfecto indicativi. In hoc casu particula *ma* aequivalet latino *nonne*, ac forma participialis aquirit vim affirmativam, quatenus subest formae interrogativae. In omnibus enim linguis interrogatio, quoties tropus est, nil quaerit, sed aliquid vel affirmat vel negat cum emphasi. Kinkaklap: lunu iluat'tin alakaltnis; ma kukakil kltsinam?, ma ktsinam?; *dixisti mihi; mitte tuos filios; nonne dixi illis ut irent? nonne iverunt?* Aki ma kinkakilil, aklsmaknik, aki kinltsgamal?; *nonne etiam tibi dicitur, o homo, ut tu quoque ores?* In istis exemplis evidenter loco particulae *nonne* substitui posset particula *quidem*, servata tamen forma affirmativa verbi *equidem dixi illis ut irent; profecto iverunt; tibi etiam quidem dicitur, o homo, ut ores.*

Neque putandum est subesse periculum confundendi particulam *ma* cum particula *pal*, quae etiam saepenumero significat *nonne*. Etenim particula *pal* usurpatur semper in ordine ad aliud vel probandum vel refellendum; vel saltem ad aliquid alicui opponendum, dum particula *ma* usurpatur solummodo de re absoluta, quoties ea vult affirmari vel negari cum emphasi.

EXEMPLA

Antequam finem imponamus huic capiti de usu verbi, quo continetur praecipua pars syntaxis linguae ksanka, placet exempla quaedam afferre, quae ex ore indorum ad verbum exscripta sunt, quaeque, non ex translatione ex aliena lingua imo interdum nulla obiecta materia, sed sponte ex capite indorum prodierunt. In istis exemplis lingua ksanka se manifestat in suis puris naturalibus. Dabitur quam accuratissime versio literalis, sed qui legit ipsemet conferat inter se modos loquendi latinos cum modis loquendi ksanka, iisque regulas in capite traditas applicet.

in
par-
utio

sine
ivi.
ici-
ro-
est.
asi.
ma
une
une
vi-
m.
ro-

ar-
ni-
ne
uid
re

uo
la
t,
lla
In
li-
it
o-